

Lbc. 7.
2

CONFESSIO
DOCTRINAE
SAXONICARVM
ECCLESIARVM,

SCRIPTA ANNO
DOMINI M. D. LI. VT
SYNODO TRIDENTI
NAE EXHIBEE
RETVR.

PSALM. CXIX.

*Loquebar de testimonijs tuis in conspectu
Regum, & non confundebam.*

LIPSIÆ

IN OFFICINA VALENTINI
PAPAE

ANNO M. D. LIII.



XII

PHILIPPVS MELAN
THON CANDIDO
LECTORI S. D.



EQVAQVAM VOLVI-
mus dissidia in nostris Ecclesijs
accendere, sed summam doctri-
nae quae sonat in Ecclesijs omni-
bus, quae Reuerendi D. Lutheri
confessionem amplectuntur, sim-
pliciter & fideliter recitare uoluimus, ac repeti-
mus sententiam confessionis, quae Imperatori Ca-
rolo exhibita est in Conuentu Augustano, Anno
M. D. XXX. etsi quaedam hic narrantur plenius.
Oramus igitur omnes lectores, ut in iudicando
candorem adhibeant, conuenientem bonis &
doctis uiris. Facile est excerpere mutilata dicta,
& ea cauillari, ac delectat nunc multos hic ludus.
Sed Thucydideum illud meminisse nos praeser-
tim in Ecclesia decebat, διαβολὰς οὐ σῶφρον οὐ-
τε λέγειν, οὔτε ἀκρόντας ἀποδέχεσθαι, ac spera-
mus iudiciapiorum & eruditorum, qui sine ma-
leuolentia iudicant aequiora fore. Cumq; uelit
Deus esse in Ecclesia iudices, ad tales uiros, qui
intelligunt controuersias, nec amant Sophisma-
tum praestigias, prouocamus, ac optamus talium
colloquia. Oramus autem filium Dei Dominum
nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis
& resuscitatum, qui uere sibi in genere humano
aeternam Ecclesiam colligit, ut nos doceat & gu-
bernet & efficiat, ut quam plurimi in I P S O
um simus. Bene uale candi-
de Lector,

GEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE.

3

CONFESSIO DOCTRINAE SAXONICARVM ECCLESIA-
RVM, SCRIPTA ANNO DO-
MINI M. D. LI. VT
Synodo Tridentinae
exhiberetur.



Ecesse est interrogatos recitare doctrinam, præfertim cum accusantur Ecclesiae, quòd uel errore falsa dogmata sparserint aut receperint: uel petulantia moueant seditio-
nes, & à communi consensu temerè discedant propter ambitionem, odia, auaritiam, cupiditatem uindictæ, aut alios prauos affectus. Itaq; & nos iussi, uerè, & bona fide, iterum recitabimus doctrinam in Ecclesijs nostris sonantem: quam etsi alij magis, alij minus eruditè aut perspicuè tradunt, tamen sine discordia in fundamento omnes pastores in Ecclesijs nostris amplectuntur.

Quanquam autem scimus periculosam esse ueritatis confessionem, tamen propter

A 2

multas

multas honestas causas eam non grauatim repetimus. Primum, quia cum multa falsa crimina apud Reges, & apud exteras nationes in nos conferantur, & odia contra nos uarijs calumnijs accensa sint, hæc commemoratio mendacia illa refutabit, & aliquorum iracundiam leniet. Deinde sæpius repetere ueram doctrinæ explanationem, Deo gratum est: et aliqui cognitis fontibus ad ueritatem inuitantur.

Necesse est nos etiam ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus ne posteritas de nobis secus iudicet: & ut aliqui his nostris testimonijs commongfacti, ueritatem inquirent, & in ueris sententijs confirmentur.

Speramus etiam eos qui considerabunt historiæ seriem, & initia horum certaminum, intellecturos esse, nos nec errore, nec ulla praua cupiditate hanc doctrinam amplexos esse, & tueri.

Nullum maius scelus est, quàm agnitæ ueritati aduersari, Sicut scriptum est: Blasphemia spiritus non remittetur.

Nos igitur cum audiuissemus perspicuam ueri-

am ueritatem de rebus necessarijs, de poenitentia, de fide accipiente remissionem peccatorum, de lege, de gratia, de uera inuocatione, de discrimine uerorum & falsorum cultuum, de usu sacramentorum, et alijs necessarijs doctrinae partibus: assentiri, & Deo gratias agere pro hoc immenso beneficio oportuit, quod reddita Euangelij luce, plures ad se conuertit.

Cum enim scriptum sit, Pater sanctifica eos in ueritate tua, Sermo tuus est ueritas: Ecclesia colligitur non falsis opinionibus & superstitionibus, sed incorrupta Euangelij uoce. Itaque si constabit genus doctrinae, quod amplexi sumus, uerum & necessarium esse Ecclesiae, non sophisticum, non seditiosum: non existimemur aut errore lapsi, aut curiositate, aut odio disciplinae, ac leuitate, & licentiae dulcedine, aut alijs prauis cupiditatibus impulsii, ut nouis opinionibus applauderemus.

Initium autem his disputationibus praebuit contentio de indulgentijs, quas cum monachus Tecelius in his regionibus uenales circumferret, & in earum praeconijs multa tetra mendacia scurrili impudentia

• CONFESSIO DOCTRINAE

spargeret, officij ratio pios doctores cogebat, hos furores taxare & reprimere.

Edidit igitur D. Lutherus propositiones pie & modestè scriptas, ad erudiendas & commonefaciendas Ecclesias de tota doctrina poenitentiae. Hic pugnare Tecelius incepit, non solum clamosis concionibus, & suorum satellitum scriptis, sed etiam fulminibus condemnationum & excommunicationum.

Ac citò ex Germania Romam perlata est fama horum certaminum, & duos statim belli socios habuit Tecelius: Romæ Magistrum Palatii, & in Germania Eccium, qui Leonis bullam Roma attulit. Lutherus, quia ueritatis defensionem abijcere non potuit, & tot modis irritabatur, edidit Defensiones copiose scriptas, in quibus ut causarum magnitudo & uarietas poscebat, de multis partibus doctrinae Ecclesiasticae dici necesse fuit.

Cum igitur multi errores & abusus in Ecclesia multis iam seculis hæreant, quos multi docti & pii etiam ante hæc tempora & deplorarunt & taxauerunt, fieri non potuit, quin hi errores & abusus reprehenderentur,

rentur, cum de fontibus harum contro-
uerfiarum dicendum esset.

Quanquam autem & fuerunt, & sunt,
& erunt diſſimilia hominum iudicia: ta-
men res ostendit, Deum uoluisse depulſis
tenebris apud multos reſtituere ministeri-
um Euangelij, & ueram inuocationem, &
hac repurgatione doctrinae paſſim ſibi æ-
ternam Eccleſiam colligere. Nec uero dici
potest, nullos fuiſſe, aut eſſe errores in doc-
trina, & traditionibus aduerſariorum.

Maximè neceſſarium eſt in Eccleſia ex-
tare doctrinam de poenitentia, & de fide
accipiente remiſſionem peccatorum in-
corruptam & perſpicuam. Maniſteſtum
eſt autem, de hac præcipua parte doctrine
Eccleſiaſticae, multos pernicioſos errores
& labyrinthos tradi & confirmari ab ad-
uerſarijs. Extant enim libri, qui inde uſq; à
trecentis annis in multorum manibus ſunt.

Quanta contumelia eſt aduerſus filium
Dei, quòd dicunt homines mereri remiſſi-
onem peccatorum proprijs operibus, &
iuſtos eſſe impletione legis? Deinde cumu-
lant errores, cum nemo ſciat, quando ſatis
habeat operum, iubent homines perpetuò
A 4 dubitare

dubitare, an habeant remissionem peccatorum, & an placeant Deo.

Hic de mediatore filio Dei, & de fide accipiente gratuitam remissionem peccatorum, & uincente dubitationem, silentium est in aduersariorum scriptis. Hi errores prorsus ethnica somnia sunt, & complectuntur aliud magnum chaos errorum.

Fingunt deprauationem in natura humana, quæ nominatur mala concupiscentia, non esse peccatum: id est, non esse malum pugnans cum lege Dei. Fingunt obedientiam, quæ præstari potest in hac uita, esse impletionem legis, et hominem hac impletionem legis coram Deo iustum esse. Postea in doctrina pœnitentiæ finxerunt inextricabilia deliramenta, oportere contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam.

De confessione, flagitant enumerationem singulorum delictorum, quæ est carnicina conscientiarum, impediens fidem & inuocationem.

Nomen satisfactionum non intellectū, falso transtulerunt ad compensaciones pro peccatis: & finxerunt opera non debita cultus Dei esse, & compensaciones.

Postea res ad quæstum translata est. Ex cogitata sunt indulgentiæ, ne ab ipsis quidem intellectæ, qui uenales circumferabant. Et hæ præstigiæ obscurabant doctrinam de filio Dei, de uera conuersione, de fide, de inuocatione, de ueris cultibus.

Erat ignota tota hæc consolatio, necessaria omnibus, quomodo conuersus ad Deum sit iustus, & placeat Deo: qua de re in scriptis Monachorum leguntur tantum Pharisaicæ opinioniones, nec ostenditur discrimen iusticiæ fidei & disciplinæ.

Præterea in multis regionibus aut silent conciones ferè toto anno, aut si quæ fiunt, plenæ sunt uanitatis. Non enim continent doctrinam de beneficijs filij Dei: sed indocti recitant fabulosas historias de sanctis, aut superstitiosas nænias traditionum. Doctiores ostentant philosophiam: nunc utriq; docti & indocti, tantum conuician tur Lutheranis, & damnant incognita.

Præterea intueantur oculi ea quæ fiunt in ipsorum templis. Omnia plena sunt inuocatione mortuorum hominum. In multis locis adhuc prostrati ad statuas, inuocant alij alia numina, et alijs de causis: Ab

Anna petuntur diuitiæ, ut à Iunone: à Ge-
orgio uictoriæ, ut à Marte: deniq; ab alijs
alia. Hi furores manifestè contumeliosi
sunt contra Deum. Quantum manifestæ
turpitudinis oritur ex lege de cœlibatu:
Quàm multi homines tot seculis, alioqui
amantes uirtutem, polluti sunt horrendis
peccatis, propter hoc uinculum, qui tan-
dem desperatione & æternis pœnis op-
pressi sunt.

Vita monastica plena est falsarum opi-
nionum, & superstitionum, & multæ bo-
næ mentes pereunt ibi, ignorantes Euan-
gelium, & implicitæ laqueis stultarum &
impiarum traditionum. Ita & in reliqua
Ecclesia, multæ falsæ opiniones de huma-
nis traditionibus à monachis & sparsæ
sunt antea, & confirmauerunt, quæ fidem,
inuocationem, & ueros cultus alios à Deo
mandatos obscurauerunt.

In templis etiam palàm cernitur multi-
plex prophanatio cœnæ Domini, quam
summa reuerentia administrari oportuit.
Legunt Missas, & offerunt, ut loquuntur,
plurimi sacrificuli, prorsus ignorātes quid
agant, Tantum consuetudini obtemperāt
aut seruiunt uentri.

Alij

Alij superstitioni, qui plus cogitant de hoc suo opere, fingunt se opus facere toti Ecclesiae necessarium, quod mereatur facienti & alijs remissionem peccatorum. Postea fit aucupium maximi quaestus, fiunt sacrificia pro mortuis. Et templa magis occupata sunt funerum caeremonijs, quam uoce concionum, aut exercitijs uiuentium.

Nec populus recte docetur apud aduersarios de usu sacramenti: quia docent monachi, sumentes ex opere operato, ut loquuntur, accipere remissionem peccatorum. Et una pars sacramenti populo adimitur: altera pars etiam extra usum institutum circumfertur, & adoratur contra rationem sacramenti: & additae sunt falsae opiniones multae. Nihil dicunt hic de iusticia fidei, & de uero usu sacramentorum: quae non sunt merita, sed testimonia confirmantia fidem, ut suo loco dicemus.

Hos morbos in Ecclesia si quis aut dissimulare, aut excusare uult, facit iniuste: & inter eos est, quibus dicitur: Vae uobis, qui dicitis malum bonum &c. Sunt enim publice noti omnibus, non fascinatis tetra hypocrisis.

Diximus

Diximus pauca de erroribus doctrinae, & cultum. Iam & Episcoporum aulae aspiciantur, ubi non de communibus aularum uicijs & miserijs querimur, quales sunt in omnibus etiam paruis familijs, sed de neglectione praecipui officij: ut est, Ordinatio ministrorum, inspectio Ecclesiarum, gubernatio studiorum doctrinae, cura disciplinae, legitima dijudicatio controuersiarum conjugalium. Haec summae res initio commendatae fuerunt Episcopis, quas fere ubique ab eis negligi manifestum est. Ita tenebrae, idola, disciplinae laxatio peruaferunt in Ecclesiam, Episcopis negligentibus sui muneris officia. Nunc magis negligunt quam antea: & addunt tyrannidem aduersus homines innocentes, ut idola & impias leges stabiliant.

Est & omnibus doctis nota uanitas constitutionum & opinionum, quae tribuunt Romano Episcopo etiam autoritatem regiam: qua opinione inflati Pontifices, saepe magna bella accenderunt.

Non igitur nobis obijci potest, nos falso queri de Ecclesiastica gubernatione, & seditiose aduersari gubernatoribus, sine iustis

iustis causis: ac nos potius ferere nouas et perniciosas opiniones.

Multi enim tetri errores, et multi abusus adeò manifesti sunt, ut facillimè agnoscì et iudicari ab omnibus communi sensu præditis possint. In talibus cum regulæ seruandæ sint, Non habebis deos alienos. Item Blasphemia spiritus non remittitur: item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit: necesse est nos dissentire ab ijs, qui mendacia & idola stabiliunt, & sonare nostram confessionem: qua in re & intra iustas metas mansimus. Fideliter uniuersam Ecclesiæ doctrinam, inquisitis fontibus, tradidimus, & tantum docendo eam propagauimus. Non fuimus tubæ seditionũ: imò scriptis Lutheri magis illustrata & ornata est politica potestas, quàm ullis scriptis aliorum post Apostolos.

Vt autem antea in multis scriptis, sine ulla ambiguitate simpliciter recitauimus doctrinam & cæremonias Ecclesiarum nostrarum, ita et nunc eandem commemorationem, sine ambiguitate & sine corruptelis exhibemus: in qua satis conspicient omnes uerè iudicantes hoc tempore, & ad
postea

posteror, nos fideliter retinere consensum
Ecclesiae catholicae Domini nostri IESU
Christi, & illustrare doctrinam necessariam
ad agnitionem filij Dei, & ad salutem
hominum: & non mouere curiosas aut in-
utiles quaestiones. Et offerimus nos ad pi-
am declarationem, in quacunque parte fla-
gitabitur.

DE DOCTRINA.

Cum certissimum sit, Deum sibi in ge-
nere humano, propter Filium, & per
eum, colligere aeternam Ecclesiam uoce
doctrinae, quae scripta est in libris Prophe-
tarum & Apostolorum: affirmamus cla-
re coram Deo & uniuersa Ecclesia in coe-
lo & in terra, nos uera fide amplecti om-
nia scripta Prophetarum & Apostolorum:
& quidem in hac ipsa natua sententia,
quae expressa est in Symbolis, Apostolico,
Niceno & Athanasiano.

Et haec ipsa Symbola, & eorum natua
sententiam sine corruptelis semper con-
stanter amplexi sumus, & Deo iuuante,
perpetuo amplectemur. Et in hac fide ue-
rum Deum, qui se patefecit in Ecclesia sua
misso

misso filio, & additis illustribus testimonijis inuocamus, coniuncta precatione nostra, cum omnibus sanctis in coelo & in terra.

Et extant nostræ enarrationes in Symbola, comprehendentes totum doctrinæ corpus & fundamentum, quæ ostendunt hanc nostram asseuerationem uerissimam esse.

Damnamus etiam constantissime omnes furores, qui pugnant cum Symbolis: ut sunt Ethnicorum, Iudæorum, Mahometistarum, Marcionis, Manichæorum, Samosatani, Arii, Pneumatomachorum, portentosa opiniones, & aliæ, condemnatae ueris Ecclesiæ iudicijs.

Cum autem controuersia quæ exortæ sunt, præcipue pertineant ad duos articulos Symboli, uidelicet ad articulum, **CREDO** remissionem peccatorum: Item, **CREDO** Ecclesiam sanctam catholicam: Ostendemus fontes harum controuersiarum, quibus consideratis, intelligi poterit, nostras declarationes ipsam Euangelij uocem esse, & ab Aduersarijs corruptelas in Ecclesia sparsas esse. Ac primum de articulo, **Credo**

Credo remissionem peccatorum.

Hic multæ & magnæ corruptelæ affinguntur ab Aduersarijs: Credo, imò dubito, inquiunt: Item Tunc credam, cum satis habebō meritorum: Item non dicunt, Credo remissionem propter filium Dei certò dari gratis, non propter nostra ulla merita, aut ullam dignitatem nostram: Item non rectè enarrant peccatum, & fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, & legis impletiōe iustum esse coram Deo in hac uita. Ideo primum de peccato, & de causa peccati, fideliter retinemus doctrinam ueræ Ecclesiæ Dei.

Cum Essentia diuina sit unica, æternus Pater, coæternus Filius imago Patris, & coæternus Spiritus sanctus, à Patre & Filio procedens, immensæ sapientiæ, potentia, bonitatis, uerax, iusta, benefica, casta, liberrima, sicut ipsa describit sese in lege sua: & condiderit angelos & homines ideo, ut suam lucem, sapientiam & bonitatem in omni æternitate eis communicaret, & essent templa Dei, in quibus Deus habitaret, ut esset Deus omnia in omnibus, ut Paulus loquitur: condidit initio eos

eos bonos & iustos, id est, congruentes cum mente & uoluntate diuina, & placentes ipsi: ac dona attribuit, uidelicet illustrem noticiam de Deo, & de uoluntate eius, ut intelligerēt se conditos esse à Deo, & ad obedientiam ipsi præstandam: attribuit & libertatem uoluntatis, ut nominant: & reuera uoluit obedientiam, sicut scriptum est, Non Deus uolens iniquitatem tu es. Sed diaboli & homines libertate suę uoluntatis abusi, defecerunt à Deo, & hac inobedientia facti sunt rei irę Dei, & amiserunt rectitudinem, in qua conditi erant. Psal. 5.

Itaq; libera uoluntas in diabolis & hominibus causa fuit eius lapsus, non uoluntas Dei, qui nec uult peccatum, nec approbat, nec adiuuat, sicut scriptum est: Cum mendacium loquitur diabolus, ex proprio loquitur, & pater est mendacij. Et 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. 1. Ioan. 3.

Est autem peccatum, quicquid est contrarium iusticię Dei, quę est ordo in mente diuina, quem & postea sua uoce in Lege & in Euangelio expressit; siue sit in-

B obedi-

obedientia originalis, siue actualis, propter quam & rea est persona iræ Dei, & damnatur æterna pœna, nisi fiat remissio in hac uita propter Filium mediatorem.

Damnamus etiã furores Marcionis, Manichæorum, & similes, pugnantes cum uero consensu Ecclesiæ Dei in hac tota quæstione.

DE PECCATO ORIGINIS.

DE peccato originis perspicuè etiam affirmamus, nos retinere consensum ueræ Ecclesiæ Dei inde usq; à primis patribus, Prophetis, Apostolis, & ab Apostolorum discipulis, usq; ad Augustinum & deinceps traditum: & expresse damnamus Pelagium, & omnes qui similia deliramenta Pelagianorum in Ecclesiam sparserunt. Ac dicimus omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur ex commistione maris & foeminae, nascetes secum afferre peccatum originis, sicut Paulus inquit Rom. 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

Nec

Nec nobis displicet definitio usitata, dextrè intellecta: Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis debitæ inesse: quia iusticia originalis non tantum fuit acceptatio generis humani coram Deo, sed etiam in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter assentiri uerbo Dei poterat: & conuersio uoluntatis ad Deum, & obedientia cordis congruens cum iudicio legis Dei, quæ menti insita erat. Ac fuisset homo templum Dei, ut antea dictum est.

Hæc omnia complexam esse iusticiam originis, potest ex hoc dicto intelligi: Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei, quod interpretatur Paulus, inquiens: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia & sanctitate uera: ubi certe intelligit sanctitatem ueram, omnes uirtutes fulgentes in natura nostra diuinitus, non arte ascitas, aut disciplina comparatas: ut nunc umbræ uirtutum qualescunq; sunt in hominibus ascitæ. Cum autem cōsideratur quid significet iusticia originalis, deinde minus obscura est opposita priuatio.

B 2

Est

Est itaq; peccatum originis, & propter lapsum primorum parentum, & propter hanc depravationem quæ lapsum secuta est, nascentes reos esse iræ Dei, & dignos æterna damnatione, nisi fiat remissio propter mediatorem. Et hæc depravatio est, carere iam luce Dei, seu præsentia Dei, quæ in nobis fulsisset: & est auersio voluntatis nostræ à Deo, & contumacia cordis repugnans legi mentis, ut Paulus loquitur: & hominem non esse templum Dei, sed miseram massam, sine Deo, & sine iusticia.

Hos defectus, & hanc totam depravationem, dicimus esse peccatum, non tantum pœnam peccati, & rem indifferentem: sicut multi Sententiarij dicunt, hæc mala tantum pœnam esse, & rem indifferentem, & non peccatum: & extenuant malum originis, & fingunt postea, homines posse legi Dei satisfacere, & propria legis impletione iustos esse.

Vitandæ sunt in Ecclesia ambiguitates. Ideo expresse nominamus hæc mala depravationem, quæ sæpe nominatur ab antiquis scriptoribus mala concupiscentia.

Discere

Discernimus autem appetitiones in natura conditas, à confusione ordinis, quæ post lapsum accessit, sicut Ierem. 17. dicitur: *Ier. 17* Prauum est cor hominis: & Paulus inquit, Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Hanc malam concupiscentiam dicimus esse peccatum: & affirmamus hanc totam doctrinam de peccato, sicut in Ecclesijs nostris proponitur & declaratur, perpetuum esse ueræ Ecclesiæ Dei consensum.

DE REMISSIONE PECCATORVM,
ET DE IUSTIFICATIONE.

DICTUM est supra, has controuersias pertinere ad explicationem duorum articulorum symboli: Credo remissionem peccatorum: & Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Nec de rebus non necessarijs, aut leuibus dicimus. Maxime necessarium est, in Ecclesia rectè proponi doctrinam de peccato, et intelligi, quid sit peccatum, & conspici discrimen inter iudicia politica & iudicium Dei.

Cum autem non rectè ostendant aduersarij quid sit peccatum, ut iam dictum

B 3

est,

est, confirmant malam securitatem in hominibus, & multas falsas opiniones. Postea etiam quid est tristius, quàm hoc summum beneficium, Remissionem peccatorum, & liberationem à morte aeterna, uel obscurare, uel ignorare? Cunctis nec discrimen fit inter Ecclesiam & alios homines, extincta luce de gratuita remissione peccatorum propter filium, & de fide qua remissionem accipi oportet, nec consolatio alia sit, retrahens nos ex morte aeterna, nec inuocatio uera sine hac consolatione fieri possit: & Deus ipse toties praeceperit audiri filium, & custodiri Euangelium, quod est mirandum decretum prolatum ex arcano consilio diuinitatis, cum ignotum esset omnibus creaturis: maxime necessarium est, ueram de remissione doctrinam retineri incorruptam.

Sed omnibus aetatibus inde usque à primis patribus sparsae sunt praestigiae à diabolis, contra ueram doctrinam de filio Dei, praesertim in hoc articulo: quos tamen subinde refutauit Deus, excitatis rursus bonis doctoribus, ne funditus interiret Ecclesia. Ostenderunt Adam, Seth,
Nohe,

Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & alij deinceps uerum discrimen Ecclesiae Dei, & aliorum hominum, & docuerunt Ecclesiae traditam esse promissionem de filio mediatore, & de remissione peccatorum: & hanc fide accipiendam esse gratis, propter Mediatorem.

Et alligauerunt inuocationem ad hunc Deum, qui se patefecerat edita promissione de Mediatore: & habuerunt externos ritus diuinitus traditos, qui erant signa promissionis, & nerui publicae congregationis.

Hos ritus, omissa doctrina promissionum & fidei, magna pars multitudinis imitata est: & cum affingeret hanc persuasionem, homines his ritibus mereri remissionem peccatorum, cumulauit ritus, & paulatim processit audacia, ut fit, ut alij alia numina fingerent.

Ita discesserunt Ethnici à uera Dei Ecclesia, & ab agnitione ueri Dei, & promissione redemptoris. Idem accidit post Moysen. Institutaerant caeremoniae hanc ipsam ob causam, ut essent commonefactiones de Mediatore: sed multitudo oblita pro-

missionis de mediatore, de doctrina fidei, de gratuita remissione propter Mediatorem, finxit remitti peccata propter sacrificia, & ritus illos: & hac superstitione cumulauit sacrificia, & oblita est mediatoris, & fuit sine uera consolatione, & sine uera inuocatione.

Idem accidit post Apostolos amissa luce Euangelij, in qua proponitur gratuita remissio propter mediatorem accipienda fide: quæ sita est remissio per exercitia monastica, per cœlibatum, per uarias obseruationes, per oblationem in Missa, per intercessionem hominum mortuorum, & multæ monstrosæ superstitiones excogitatae sunt, ut historiae totius Ecclesiae post Apostolos ostendunt.

Aduersus hos errores immensa misericordia Deus subinde uocem Euangelij restituit: ac ut in populo Israel subinde Prophetas excitauit, qui doctrinam repurgarent: ita in Ecclesia, post Apostolos, cum scripta Origenica, & Pelagiana, & populi superstitio puritatem Euangelij corrupissent, tamen uelut in caligine rursus accensa est lux ab Augustino, & hunc

hunc secuti sunt Prosper, Maximus, & alij, qui falsas opiniones in hoc articulo taxauerunt.

Postea natis Monachis, cum rursus late uagaretur opinio, quæ fingit homines mereri remissionem operibus, fuerunt tamen aliqui rectius sentientes, etiamsi fundamento stipulas adderent: ut Hugo, Bernhardus, Gilibertus, Guilhelmus Parisiensis, Taulerus, Drandorfius, Vuesseus, & alibi alij. Et nunc uoce Lutheri magis perspicue restituta & illustrata est Euangelij doctrina, & monstratus agnus, sicut Baptista inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui credit in Filium habet uitam æternam, qui non credit, manet ira Dei super eum.

Hanc ipsam uocem Euangelij incorruptam sonant & Ecclesie nostræ: & expresse discernimus disciplinam, seu iusticiam, quam potest efficere homo non renatus, à iusticia fidei, & nouitate, de qua concionatur Euangelium.

Dicimus, omnes homines disciplina coercendos esse: id est, illa iusticia, quam etiam non renati præstare debent, & utcun

que possunt, quæ est obedientia in exter-
nis actionibus, iuxta omnia præcepta Dei
ad omnes homines pertinentia.

Quia Deus in homine post lapsum re-
liquit hanc libertatem, ut rationi & uolun-
tati possint utcunq; obedire externa mem-
bra, in externis motibus ciendis uel omit-
tendis: ut Achilles potest gladium stringe-
re, aut recondere in uaginam: Scipio po-
test coërcere membra, ne attingant alteri-
us sponsam: ut hæc suo loco rectè & copi-
ose declarantur.

Hanc disciplinam à Deo præceptam
esse, & puniri eius uiolationem præsentia-
bus pœnis & æternis, in his qui non con-
uertuntur ad Deum, certissimum est: iux-
ta illa dicta, Lex est posita iniustis: Item,
Qui gladium acceperit gladio peribit:
Item, Scortatores & adulteros iudicabit
Deus: Item, Væ qui spolias, quia spolia-
beris.

Etsi autem omnes homines hac disci-
plina suos mores regere debent, & Deus
seuerè imperia hanc disciplinam tueri iu-
bet, & ipse horribilibus pœnis declarat
iram suam aduersus hanc externam con-
tuma

tumaciam: tamen hæc externa disciplina etiam sicubi est honestissima, nequaquam est impletio legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia illa qua coram Deo accepti sumus: nec lux illa fulgens in natura hominum, sicut fulsit iusticia nobis indita in creatione, aut sicut fulgebit noua iusticia in uita æterna.

Sed tota hæc disciplina est qualiscunq; externa gubernatio, similis folio ficus, quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum. Nec magis tollit peccatum, & nature corruptionem & mortem, quam tollebant illæ frondes fici.

Ideo Paulus toties clamat, non tolli peccatum lege. Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo. Et Rom. 8. Cum legi impossibile esset iustificare &c. Et Galat. 2. Si per legem iusticia est, frustra Christus est mortuus. Et ad Tit. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluauit nos.

Et contumelia est filij Dei, fingere ulla nostra opera merita esse, seu precium remissionis peccatorum, & esse propiciationes

nes

nes pro peccato. Ideo Pharisæica illa & Pelagiana deliramenta clare damnamus, quæ fingunt disciplinam illam esse impletionem legis Dei: item mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno, uel esse iusticiam qua homines coram Deo sint accepti.

Sed filius Dei Dominus noster IESVS Christus, qui est imago æterni patris, constitutus est Mediator, Propiciator, Redemptor, Iustificator & Saluator. Huius unius obedientia & merito placatur ira Dei, ut Rom. 3. dicitur: quem posuit propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et Hebr. 10. Impossibile est sanguine tauro- rum tolli peccata. Ipse autem unicam pro peccatis offerens hostiam, in perpetuum sedet ad dexteram Dei &c.

Etsi autem causas huius mirandi consilij, cur hoc modo redimendum fuerit genus humanum, nondum in hac infirmitate cernimus: sed postea discendæ erunt in omni æternitate, tamen hæc initia nunc discenda sunt.

Conspiciuntur in hac uictima, iusticia Dei, & ira aduersus peccatum, & immensa
sa mi

sa misericordia erga nos, & amor in filio erga genus humanum. Tanta est iusticiæ seueritas, ut non sit facta recõciliatio, nisi pœna persolueretur. Tanta est iræ magnitudo, ut æternus pater non sit placatus, nisi deprecatione & morte filij. Tanta misericordia, ut filius pro nobis datus sit.

Tantus amor in filio erga nos, ut hanc ueram & ingentem iram in se deriuauerit. Harum maximarum & arcanarum rerum considerationem in pectoribus accendito tu **FILI DEI**, Spiritu tuo sancto, ut uere expauescamus agnitione iræ, & rursus uera consolatione erigamur, & te in omni æternitate celebremus.

Vt autem beneficia huius Mediatoris nota essent generi humano, & nobis applicarentur, edita est promissio statim initio post lapsum primorum parentum, & deinceps sæpe repetita, & uoce Prophetarum declarata: sed clarissimè recitata per ipsum filium, & deinde per Apostolos: & institutum est ministerium docendi, & propagandæ promissionis, & condita Ecclesia, & subinde instaurata hac ipsa uoce de filio Dei propiciatore.

Per

Per hoc ministerium semper fuit, est & erit efficax filius Dei in credentibus, sicut Rom. 1. dicitur: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Et instaurat ipse hoc ministerium, cum inquit: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos: Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo.

Vult argui peccatum in toto genere humano, sicut inquit: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Et Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniusticiam hominum. Vult Deus agnosci iram suam aduersus peccata omnia, & præcipue aduersus contemptum filij, sicut & in Psalmo inquit: Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis de uia &c. Vult nos uere expauescere agnitione tenebrarum, & horrendæ prauitatis & contumaciæ nostræ. Et quidem ipse Deus iræ suæ sensu corda opprimit, ut inquit Esaias. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

Et ad hoc iudicium non solum uoce ministerij legis & Euangelij utitur, sed etiam omnes calamitates humanæ sunt quasi

quasi uox legis, de ira Dei nos admonēs,
& omnes ad pœnitentiam inuitans. Cum
autem hac uoce arguente peccata, mens
perterrefacta est, audiat promissionem
Euangelij propriam de filio Dei, & statu-
at sibi remitti peccata gratis propter filiũ
Dei, Dominum nostrum IESVM Chri-
stum propiciatorem, per misericordiam,
non propter contritionem aut dilectio-
nem nostram.

Hac fide cum erigitur, certum est dona-
ri remissionem peccatorum, reconciliati-
onem & imputationem iusticiæ, propter
ipsius Christi meritum: & Christum in no-
bis efficacem esse, & Spiritu suo sancto ui-
uificare credentes, et ex æterna morte nos
liberare, & facere nos simul hæredes uitæ
æternæ.

Ita inquit Paulus Rom. 3. Decernimus
fide iustificari hominem, sine operibus le-
gis: Item, Iustificamur gratis ipsius gra-
tia, per redemptionem, quæ est in Christo
IESU, quem proposuit Deus propici-
atorem per fidem in sanguine eius. Et
Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testi-
monium perhibent, remissionem pecca-
torum

torum accipere omnes, qui credunt in eum.

Sunt autem nota uocabula. Fides significat non tantum historiae noticiam, qualis et in diabolis est, de quibus dicitur, Dæmones credunt & contremiscunt: sed significat amplecti omnes articulos fidei, & in his hunc articulum, Credo remissionem peccatorum: Nec tantum alijs dari eam credo, sed mihi quoq̃.

Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, iuxta illud: Iustificati fide, pacem habemus. Ita loquitur Paulus de fide, quæ assentiens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur & amplectitur: copulat enim fidem & promissionem: Roman. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio.

In declaratione uocabuli iustificari, usitate dicitur: Iustificari significat, ex iniusto iustum fieri: quod recte intellectum, hic quoq̃ quadrat, Ex iniusto, id est, reo & inobediente, & non habente Christum, fieri iustum, id est, absolutum à reatu, propter filium Dei, & apprehendentem fide ipsum Christum, qui est iusticia nostra, ut dicunt

dicunt Ierem. & Paulus: quia eius iusticia nobis imputatur, & propter eum iusti reputamur, & quia dato Spiritu suo sancto nos uiuificat, & regenerat, sicut & Ioan. 5. dicitur: Hæc est uita in filio eius. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam non habet.

Quanquam autem simul incoatur nouitas, tamen non dicimus personam iustam esse in hac uita, propter nouas qualitates, sed propter ipsum mediatorem passum, resuscitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem & uiuificantem.

Et quanquam sunt incoatæ uirtutes, tamen adhuc sunt imperfectæ, & hærent in nobis reliquiæ peccati. Ideo tenenda est hæc consolatio, placere personam propter filium Dei, imputata nobis ipsius iusticia, sicut Roman. 4. dicitur: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam: Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Itaq; & correlatiuè intelligenda est hæc oratio, Fide iustificamur: hoc est, fiducia

C

filij

filij Dei iustificamur, nō propter nostram qualitatem, sed quia ipse est propiciator, in quo cor acquiescit, fiducia promissæ misericordiæ propter eum, quam fiduciam ipse spiritu suo sancto exuscitat, sicut inquit Paulus: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba pater.

Hic et de particula exclusiua dicendum est. Toties repetit Paulus uocabulum Gratis, qua uoce certissimum est excludi conditionem meritorum nostrorum. Ideo in Ecclesijs nostris dicitur: Sola fide iustificamur: quod sic intelligimus, & declaramus: Gratis propter solum mediatorem, non propter nostram contritionem, seu alia nostra merita, donamur remissione peccatorum, & reconciliatione.

Etsi enim contritio & aliæ uirtutes multæ, cum fide seu hac fiducia simul accendantur, tamen hæ uirtutes non sunt causa, seu meritum remissionis peccatorum, nec propter eas persona placet: iuxta illud, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: sed habet remissionem, & placet persona certò propter mediatorẽ, quem

quem fide apprehendi oportet: ut ad Eph. cap. 3. dicitur: Per quem audemus accedere in fiducia, quæ est per fidem in eum.

Hæc tota doctrina fit illustrior in uera conuersione & quotidiana inuocatione piorum. Cum expauescimus agnitione ire Dei, hæc una est firma consolatio, confugere ad filium Dei, qui inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: Item, Gratia exuberat supra peccatum.

In his doloribus si doceas hominem, dubitandum esse de remissione peccatorum, uincet dolor, & sequentur tristissimi fremitus aduersus Deum, & desperatio, & mors æterna. Sed si doceas, fide uincendam esse dubitationem, intelliget iam uocabulo fidei non tantum significari noticiam historiæ, intelliget fiduciam niti solo mediatore, intelliget quid dicatur his uerbis, Gratis propter mediatorem, sola fide accipitur remissio, & placet persona.

Hæc lucta omnibus temporibus ali-

quos erudijt, ut has ueras consolationes aliquo modo intelligerent. Etsi enim Origenes, & multi scriptores & sententiarij, aliud genus doctrinae insincerum pepererunt: tamen in Augustino, & alijs quibusdam leguntur dicta quae ostendunt, eos ex his ueris fontibus etiam hausisse consolationes.

Quanquam autem interdum improprie loquuntur, aut dissimilia dicunt, quia in loquendo negligentiores fuerunt: tamen quae fuerit eorum perpetua sententia, si dextere iudicare uolumus, animaduerti potest. Augustinus in Psal. 31. inquit: Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inueniet peccatum, nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit, Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam.

Hic certe Augustinus fidem intelligit fiduciam, quae accipit remissionem peccatorum: & dictum in Genesi, & in Paulo, prorsus

sus

sus intelligit sicut nos enarramus. Alibi de spiritu & littera inquit: Ex lege timeamus Deum, Fide confugimus ad misericordiam.

Bernhardus in concione de Annunciatione: Necessesse est primum omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, Sed adde, ut credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. In hoc dicto perspicue & proprie citatur sententia Ecclesiarum nostrarum, & extant similia testimonia apud hunc scriptorem.

Basilus etiam propriissime recitat nostram sententiam, in concione de Humilitate, his uerbis: Qui gloriatur, in Domino gloriatur, dicens quod Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia, & sanctificatio, & redemptio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hec est enim perfecta & integra gloriatio in
C 3 Deo,

Deo, quando neq; propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere uera iusticia, fide autem sola in Christum iustificari.

Cum igitur ex his quæ dicta sunt, manifestum sit, quid significet uocabulum fidei, in hac propositione, Fide iustificamur: Hinc intelligi potest, perniciose errare Monachos, & alios, qui iubent conuersos ad Deum dubitare an placeant Deo.

Hunc uulgarem errorem de dubitatione manifestè refutant hæc dicta: Iustificati fide, pacem habemus. Item, Ideo ex fide ut sit firma promissio. Donec enim excruciamur dubitatione, corda fugiunt Deum, non acquiescunt in Deo, non inuocant. Et promissio fit eis inanis sonitus, quia non assentiuntur ei.

Postremò Dei mandatum est æternum & immotum, ut credamus filio Dei, iuxta hoc dictum: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Item 1. Ioan. 5. Qui non credit Deo, accusat eum mendacij.

Est autem insulsa cauillatio, quòd dicunt

cunt, dubitandum esse propter nostram indignitatem, non propter misericordiam. Ideo enim edita est promissio, ideo filius Dei mediator constitutus est, quia nos indigni sumus: & ut pater propter ipsum passum, resuscitatum, et deprecantem pro nobis, ac uestientem nos sua iusticia, certo sit propicius huic miseræ massæ, indignæ, & plenæ fordium, iuxta illud: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo IESU ambulant.

Absurdum est etiam, quod dicunt, nostræ indignitatis causa dubitandum esse. Non enim dubitandum est, an displiceat indignitas, sed ueris gemitibus fateamur nos indignos esse, & opponamus promissionem, cui assentiri mandatum Dei est.

Nec rectè accommodatur ad hanc dubitationem, sententia in Ecclesiaste. Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Amentia est fingere Solomonem hoc uelle, nec iustos, nec iniustos debere statuere, an placeant aut displiceant Deo: cum certissimum sit, perseverantes in sceleribus contra conscientiam, displicere Deo.

Sed abducit nos Solomon à spectacu-

lis externis ad uerbum Dei, quasi dicat: Ex rebus secundis non statuas te placere Deo, nec propter res aduersas displicere. Non ideo placet Alexander, quia uincit, & magno imperio potitur. Iob in calamitate, David in exilio, non ideo statuant se abiectos esse à Deo, quia sunt ærumnosi. Non ex his euentibus, seu externis spectaculis iudicent, sed ex uerbo Dei. Etiam in media calamitate offertur consolatio, *Uo ego, nolo mortem peccatoris &c.* Sic *Eze. 18* Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat &c. Denique error de dubitatione, prorsus Ethnica imaginatio est, ac Euangelium abolet, & in conuersione ueram consolationem ijs qui iram Dei sentiunt, adimit. *Ioan. 3*

Docendi sunt potius homines, hanc certo uocem Euangelij esse, ut filio Dei credamus, ac statuamus gratiam exuberare supra peccatum, ideoque repugnemus dubitationi, & eluctemur, & fide eam uincamus, ut accedere ad Deum, inuocare eum, & ei gratias agere possimus. Hi summi cultus horribiliter impediuntur, quando
cunq;

cunq; animi concutiuntur fluctibus dubitationum, ut experientia ostendit. Hinc perspicuum est, quare decretum Tridentinæ Synodi, quod confirmat errorem de dubitatione, taxari necesse sit.

Ex his omnibus etiam intelligi potest, iustè reprehendi synecdochen eorum, qui sic interpretantur Paulum, Fide iustificamur, scilicet, formata dilectione, ut ipsi loquuntur. Nam uocabulum fidei intelligunt tantum de noticia, & cogitant hanc esse sententiam, Fide iustificamur, id est, præparamur ad iusticiam, id est, ad cæteras uirtutes, quæ sunt obedientia & impletio legis. Ita tantum hoc dicunt: Hominem esse iustum propter proprias uirtutes, Deinde iubent dubitare, an sit ornatus illis habitibus, de quibus loquuntur.

Ostendimus autem suprâ, fide significari fiduciam acquiescentē in filio Dei propiciatore, propter quem recipimur & placemus, non propter nostras uirtutes, aut legis impletionem. Cum autē in hac ipsa consolatione, fiducia, qua acquiescimus in filio Dei, uerè sit motus accensus à Spiritu sancto, quo uiuificatur cor, & libera-

Ioan. 3 tur ex æterna morte, dicitur hæc conuer-
fio, regeneratio, Ioan. 3. Nisi quis renatus
fuerit ex aqua & spiritu.

Ioan. 14 Et fit homo iam uerè domicilium Dei,
qui est in eo efficax, ut Ioan. 14. dicitur, Si
quis diligit me, sermonē meum seruabit,
& pater meus diliget eum, & ueniemus
ad eum, & mansionem apud eum facie-
mus. A Eternus Pater, & Filius, Spiritu
suo sancto uiuificant, & renouant corda
in hac consolatione, cum fide eriguntur,
Gal. 3 sicut Paulus inquit Galat. 3. Ut promissi-
onem spiritus accipiamus per fidem.

Non igitur loquimur de ociosa noti-
cia: & errant imperiti, qui existimant re-
missionem peccatorum contingere ocio-
sis, sine aliquo motu animi, sine certami-
ne, & sine sensu consolationis in ueris do-
loribus, in ea ætate, quæ iam intelligere
Rom. 10 uocem doctrinæ potest, iuxta illud Fides
ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Et
quia conscientijs in pœnitentia consolati-
onem proponimus, nō addimus hic quæ-
stiones de prædestinatione, seu de electi-
one: sed deducimus omnes lectores ad
uerbum Dei, & iubemus ut uoluntatem
Dei

Dei ex uerbo ipsius discant, sicut æternus pater expressa uoce præcipit, Hunc audite *Mat. 17* te. Non quærant alias speculationes.

Certissimum est, prædicationem pœnitentiæ ad omnes homines pertinere, & accusare omnes homines. Ita & promissio uniuersalis est, & omnibus offert remissionem peccatorum, iuxta illa dicta uniuersalia: Venite ad me omnes qui laboratis, *Mat. 11* & onerati estis, & ego reficiam uos. Item *Ioan. 3.* Ut omnis qui credit in eum, non pereat. *Rom. 10.* Omnis qui credit in eum, non confundetur. Item, Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum. *Rom. 11.* Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur. *Rom. 11.*

In hanc uniuersalem promissionem singuli se includant, & non indulgeant diffidentia, sed luctentur, ut assentiantur uerbo Dei, & obsequantur Spiritui sancto, & iuuari se petant, sicut dictum est: Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus? *Luc. 11.*

DE LIBERO ARBITRIO.

IAM hic nota sit etiam doctrina de libero arbitrio. Semper in Ecclesia homines

mines rectè eruditi distinxerunt disciplinam & nouitatem spiritus, quæ est initiũ uitæ æternæ: & docuerunt, in homine libertatem uoluntatis talem esse, ad regendos externos motus membrorum, qua etiam non renati utcunq; disciplinam, quæ est externa obedientia iuxta legem, præstare possint.

Rom. 8 Sed homo nequaquam potest se liberare à peccato, & morte æterna, uiribus naturalibus: sed hæc liberatio & conuersio hominis ad Deum, & nouitas spiritalis, fit per filium Dei uiuificantem nos spiritu suo sancto, ut dictum est Si quis Spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Et uoluntas, accepto Spiritu sancto, iam non est ociosa.

Ac Deo gratias agimus pro hoc immenso beneficio, quòd nobis propter filium, & per eum, dat Spiritum sanctum, & nos suo spiritu regit: & damnamus Pelagianos & Manichæos, ut hæc suo loco copiosius explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

Totum beneficiũ filij Dei considerandum est, Ita enim uult peccatũ et mortem

tem tollere, & nos ex regno diaboli eripe-
re, ut prorsus abolito peccato & deleta
morte, restituat in nobis æternam uitam,
in qua Deus nobis communicet sapienti-
am, iusticiam, & læticiam suam, & in qua
sit Deus omnia in omnibus.

Hoc summum beneficiũ incoat in hac
misera massa, in hac uita, sicut scriptum
est: Superinduemur, si tamen non nudi re
periemur. 2. Cor. 5
Item, Qui perseverauerit usq; Mat. 10
in finem, hic saluus erit. Itaq; cum accipi-
mus remissionem peccatorum, & recon-
ciliati sumus, & obsignati Spiritu sancto,
hæc bona effundere horrendus furor est:
sicut describuntur effundentes, in parabo-
la de domo mundata. Et in 2. epistola Pe 2. Pet. 2
tri dicitur: Si hi qui effugerunt contami-
nationes mundi, per agnitionem Domini
& saluatoris IESU Christi, his rursus
impliciti succumbunt, fiunt eis postrema
deteriora prioribus.

Effunduntur autem hæc bona, si quis
non retinet fundamentum, id est, articu-
los fidei, siue sciens, siue deceptus, impia
dogmata, seu idola recipit. Item, si quis ali-
oqui contra conscientiam ruit. Hæ regu-
la sæpe

Gal. 5 læ sæpe repetitæ sunt, ut Galat. 5. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Necessaria est igitur cura uitandi tales lapsus.

Hæc manifesta necessitas, proposita summa pœna, uidelicet amissione uitæ æternæ, si quos nō mouet ad bene operandum, hi sunt iam ex his de quibus dicitur:

1. Ioan. 3 Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et sunt necessitatis causæ plures. Debitum, id est, ordo immutabilis, ut creaturæ Deo obtemperent: ideo

Rom. 8 Paulus inquit, Debitores estis. Item, ne Spiritus sanctus & fides excutiantur. Accedat & cura uitandi pœnas præsentis.

Mich. 7 Quia certissimum est, plurimos etiã electorum lapsus, horribiliter puniri in hac uita, ut inquit Ecclesia apud Micheam: Irã Domini portabo, quia peccaui ei.

Et omnium temporum historie horrenda exempla pœnarum continent: ut Dauid, Solomon, Manasses, Iosias, Nabuchodonosor, & alij innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quòd in ipsis pœnis multa noua peccata

cata cumulantur: ut in seditione mota
 contra Dauidem, in dilaceratione regni
 propter delictum Solomonis. Et de neces-
 sitate bene operandi, inquit Dominus: Ni
 si abundauerit iusticia uestra plus quam *Matt. 9*
 Pharisaeorum, non intrabitis in regnum
 caelorum. Considerata autem necessitate,
 qua multiplex est, sequuntur haec quaestio-
 nes: Quae opera sint facienda: quomodo
 fieri possint: quomodo placeant Deo: quae
 habeant praemia: quod sit discrimen pec-
 catorum: quae excutunt Spiritum sanctum,
 & quae non excutunt.

QVAE OPERA SINT
 FACIENDA.

Vult Deus & fidem & opera regi suo
 uerbo. Ideo tenenda est norma de bonis
 operibus, interioribus & exterioribus,
 quae in istis praecipis Dei continentur, quae
 ad nos pertinent, sicut Ezechielis 23. dici-
 tur: In praecipis meis ambulate. Et haec *Exec. 23*
 opera interiora & exteriora fiunt cultus
 Dei, cum fiunt in fide, & referuntur ad
 hunc finem, ut Deus hac obedientia ce-
 lebretur.

Dictum

Dictum est autem supra, externam obedientiam seu disciplinam præstare posse etiam non renatos: ut, honestè uiuit Cicero, & benemeretur de toto genere humano laboribus gubernationis: sed mens plena est dubitationum de prouidentia, nec nouit, nec alloquitur uerum Deum in inuocatione, nec nouit promissiones, & semper dubitat, an exaudiatur, præsertim in calamitatibus: in quibus etiam Deo irascitur, cogitat iniuste se affligi, cum fuerit ciuis honestus, & utilis Reipublicæ. Tales tenebræ in mente sunt magna peccata, quæ ratio sine luce diuina non satis iudicare potest.

Oportet igitur in renatis etiam interiori obedientiam incoari, ueram Dei agnitionem, timorem Dei, dolores in pœnitentia, fiduciam misericordiæ propter filium Dei promissæ, inuocationem, spem, dilectionem, læticiam in Deo, & alias uirtutes: & oportet eas referre ad debitum finem, scilicet ut Deo præstetur obedientia.

Hi ueri cultus non possunt præstari sine luce Euangelij, & sine fide: quos aduersarij, qui uideri uolunt eximij præcones bonorum

bonorum operum, nec intelligunt, nec flagitant, cum omittunt doctrinam de fide, quæ est fiducia misericordiæ, acquiescens in filio Dei, quæ est præcipuum opus, & summus cultus Dei.

De operibus non mandatis à Deo infra dicemus. Et regula tenenda est: Frustra colunt me mandatis hominum. Sæpe *Mat. 23* autem in Ecclesia accidit, ut maiori cura seruentur humani ritus, quam præcepta Dei: imò ut autoritas Pharisaicarum & iniustarum traditionum anteferatur mandatis diuinis, ut multis seculis, propter iniustam & impiam legem de cœlibatu, præceptum Dei de uera castitate, horribiliter uiolatum est. Considerandum est igitur discrimen legum, de quo rursus infra dicemus.

QVOMODO POSSINT FIERI
BONA OPERA.

Magna est infirmitas hominum: & Diabolus est acerrimus hostis, qui odio Dei grassatur in humanum genus, ac præsertim Ecclesiã Dei conatur dissipare, quantum potest, ut scriptum est à Petro: **Vigilate,**

1.Pet.5 late, quia aduersarius uester, tanquam leo rugiens circumit, querens quem deuoret. Ideo quanquam externā disciplinam homines naturalibus uiribus utcunq; præstare possunt, tamen sæpe uincuntur hac communi infirmitate. Sæpe etiam diabolus non feros homines impellit in tetra scelera: ut decepit Euam, impulit fratres Ioseph, Dauidem, & alios innumerabiles. Quæ igitur potest esse diligentia, uel circumspectio, par astutissimo hosti?

Hic teneamus dulcissimam consolationem: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Custos est filius Dei Ecclesiæ suæ, sicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Ipse protegit nos, & simul Spiritu suo sancto confirmat mentes in ueris sententijs: & ut incoat æternam uitam, ita & motus bonos, fidem, dilectionem Dei, ueram inuocationem, spem, castitatem, & alias uirtutes in cordibus accendit.

Nequaquam sumus Pelagiani, sed reuerenter gratias agimus Deo æterno, patri Domini nostri IESU Christi, & filio eius IESU Christo, & Spiritui sancto,
cum

cū pro toto beneficio restitute salutis hominum, tum uerò pro hoc ipso beneficio, quod in Ecclesia habitat filius Dei, et eam sua dextra contra furores diabolorum & hominum protegit, & depellit à nobis diabolos, & in hac tanta infirmitate nostra nos sustentat, & regit mentes et corda Spiritu suo sancto, ut luceat in nobis uera Dei agnitio, & excitetur uera inuocatio.

Hæc beneficia nobis præstari certò scimus, sicut dulcissimè dictum est apud Zachariam: Effundam super domū David, *Zach. 12* & habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum. Nominat spiritū gratiæ, quia in hac consolatione testificatur filius Dei, obsignans nos Spiritu sancto, quòd simus in gratia, & quòd liberemur ex doloribus inferorum. Deinde nominat spiritum precum, quia cum agnouimus remissionem peccatorū, iam non fugimus Deum, non fremimus aduersus eum, sed accedimus ad eum uera fide & spe, petimus & expectamus ab eo auxilium, diligimus eum, & nos ei subiicimus: ita fit incoatio obedientiæ.

Eodem modo inquit Dominus: Ego

D 2

roga

Ioan. 14 rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, spiritum ueritatis. Accendit Spiritus sanctus lucem ueritatis in mentibus, & nouos motus in cordibus, congruentes cum lege Dei. Hoc tantum donum agnoscamus, & grati retinere studeamus, & assidue nos in tantis uitæ periculis iuari petamus. Nec est ociosa uoluntas, accepto Spiritu sancto.

QVOMODO PLACEAT NOVA
OBEDIENTIA.

LUC. 18 Phariseus apud Lucam admiratur se se, & sibi placet, fascinatus hac persuasione, quòd legi satisfaciat, & propter hanc qualemcunq; disciplinam Deo placeat. Tales sunt multi in genere humano, securi propter qualemcunque umbram disciplinae.

Sed horum arrogantiam sæpe accusat uox diuina, ut inquit Dominus Lucae 13.
LUC. 13 Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et apud Ioan. Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, mendaces sumus. Ideò inanis est imaginatio, fingentium obedientiam Deo placere sua dignita

dignitate, & esse meritum condigni, ut loquuntur, & iusticiam coram Deo, quæ sit meritum uitæ æternæ.

Postea tamen addunt, semper dubitandum esse an placeat obedientia: quia manifestum est, in singulis multum sordium esse, multa peccata ignorantia & omissionis, multos nauos non paruos.

Hic necesse est rectè erudiri conscientias de utraq; re, de infirmitate nostra, & de consolatione. Necesse est in renatis esse iusticiam bonæ conscientia & incoatam obedientiam, ut dictum est. Et tamen in hac uita, in nostra natura, in anima, & in corde, adhuc ualde multum est sordium, quas illi magis cernunt & deplorant, qui plus lucis habent, ut Prophetæ & Apostoli, ut nota est Pauli querela: Video aliã Rom. 7 legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, & me captiuum facit legi peccati.

Magna adhuc in singulis caligo est, multiplex ignorantia, & multæ tristissime dubitationes, errores in consilijs, orti ex diffidentia, ex falsis opinionibus, & inani spe, multæ uitiosæ flammæ cupiditatum,

multæ neglectiones officij, fremitus & indignationes aduersus Deum, in pœnis. Denicq; stupor & insania est, nolle fateri timorem & dilectionem Dei multò frigidiorum esse, quàm esse debebat.

Hæ confessiones repetitæ sunt in Prophetarum et Apostolorum concionibus.

Psal. 143 *Psal. 143.* Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens. Et in *1. Ioan. 1.* Si dicimus quòd peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & ueritas non est in nobis. Hæc confessio necessaria est, & arrogantia taxanda.

Reprehendendus est etiam error aduersariorum, qui fingunt, homines in hac uita mortali, legi Dei satisfacere posse. Item qui dicunt, Malum concupiscentiæ nobiscum nascens non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege seu uoluntate Dei. Hos errores manifestè refutat Paulus, *Rom. 7. & 8.* Postea etiam consolatio addenda est.

Primum statuatur renatus, se reconciliatū esse Deo, sola fide, id est, fiducia Mediatoris, & personā certò reputari iustam propter

pter filium Dei Mediatorem, gratis propter ipsius meritum.

Secundò, confiteatur uero dolore, adhuc in renato multa peccata & magnas fordes esse, dignas ira Dei.

Tertiò, Et tamen sciat oportere incoarri obedientiam & iusticiam bonæ conscientia: & hanc, quanquam procul abest à perfectione legis, tamen in reconciliatis Deo placere propter mediatorem deprecantem pro nobis, & suo merito tegentē nostras ingentes & inenarrabiles miserias. Ita propter eum & persona recipitur, & postea placent opera, & in utroq; fides lucet. Ideo Petrus inquit: Offerte hostias 1. Pet. 2 spirituales acceptas Deo per IESVM Christum. Hæc consolatio proposita est in capite 8. ad Roman. Nulla nunc Rom. 8 condemnatio est his, qui in Christo IESV ambulant. Et Rom. 6. Non estis sub lege, Rom. 6 sed sub gratia.

Ibi hoc ipsum queritur, an placeat obedientia, cum legi non satisfaciat. Respondet Paulus: Placere, quia non simus sub lege, id est, damnati lege: sed sub gratia, id est, reconciliati seu recepti in gratiam. Ro

Rom. 8 man. 8. Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, & pro nobis interpellat, id est, Placent sancti propter Filium, qui & obtulit pro nobis suam obedientiam, & pro nobis interpellat.

Hæc dicta opponenda sunt dubitationi, ne fides & inuocatio extinguantur. Nā dubitatio languefacit inuocationem.

Postquam igitur scimus, & necessariam esse nouam obedientiam, & auxilium nobis certò donari, & placere hanc, quamquam mutilam & mendicam obedientiam, agnoscamus immensam Dei misericordiam, & pro ea gratias agamus, & sit maior cura regendi omnes actiões, quia scimus & iuari nos, & Deo hanc obedientiam propter filium placere. Et semper in conspectu sit hæc necessitas: Si effunduntur beneficia Dei, iustificatio & regeneratio, amitti uitam æternam, iuxta illud, Superinduemur, si tamē non nudi reperiemur.

2. Cor. 5

Rom. 8

LUC. 23

Et Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ac semper in iustificatione simul fit incoatio nouitatis.

Latro pendens in cruce, habet bona opera

opera interiora & exteriora, dolet se peccasse, & fatetur se iuste puniri. Deinde & fide agnoscit Salvatorem, & petit ab eo salutem, ideoque audit expressam absolutio- nem, & concionem de uita æterna, & pro- missionem, & acquiescit in hac uoce Mes- siæ, & se Deo subiicit, & non impatienter fert supplicium. sed lætatur agnitiõe Mes- siæ, & spe uitæ æternæ, & Deo gratias agit: præterea ut extet signum confessionis, re- futat maledicentem Christo.

Hæc in eo fiunt, ipso Christo socio sup- plicij effundente Spiritum sanctum in cor eius, qui nouam lucem & agnitionem ue- ram Messiaë, ueram fidem, inuocationem, & ueros poenitentiaë motus, dilectionem Dei, spem uitæ æternæ, & alias uirtutes in eo accendit.

DE PRAEMIIS.

Paulus inquit, Donū Dei est uita æterna Rom. 6
na per Christum IESVM Dominum
nostrū: & reconciliati seu iustificati, simul
sunt cohæredes filij Dei propter ipsum,
non propter propria merita: nituntur fi-
lio Dei mediatore, non nostris meritis: &

D 5

fides

fides accipiens remissionem peccatorum
 ac iustificationem, & spes uitæ æternæ, ut
Ioan. 6 expresse dictum est, Hæc est uoluntas Pa-
 tris, ut omnis credens in filium, habeat ui-
Rom. 5 tam æternam. Et Rom. 5. Iustificati fide,
 pacem habemus apud Deum, per Domi-
 num nostrum IESVM Christum, per
 quem & accessum habemus fide in gratiã
 hanc, in qua stamus, & gloriamur spe ui-
 tæ æternæ.

Coniungit fidem & spem, & affirmat
 utranq; niti mediatore, et manifestum est,
 spem non debere niti nostris operibus,
Psal. 142 quia dictum est, Nõ iustificabitur in con-
 spectu tuo omnis uiuens: sed ut propter
 solum filium Dei agentes pœnitentiam re-
 putantur iusti fide, & propter eum & per
 eum uiuificantur: ita propter eum, & non
 propter nostra merita, donatur uita æter-
 na: sicut latro in cruce audit hanc promiss-
Luc. 23 sionem, Hodie eris mecum in paradiso.

Nec somniandum est, filium Dei tantũ
 preparationẽ ad uitam æternam nobis me-
 ruisse, aut dare, & nos postea nostris ope-
 ribus mereri uitam æternam: sed sit in con-
Hose. 13 spectu dictum dulcissimum, O mors ero
 mors

mors tua, & pestis tuo ô inferne. Propter filium Dei, & per eum liberamur à morte æterna, & transferimur in uitam æternā, sicut ipse inquit, Ego uitam æternam do eis. Et 1. Ioan. 5. Qui habet filium, habet uitam. Ac sit spes certa & firma, sicut Petrus inquit: Perfectè sperate, id est, non dubia opinione, sed firma spe expectate uitam æternam, uidelicet propter mediatorem. Et rectè Augustinus inquit in libro Meditationum, Totius fiducia certitudo est in sanguine Christi.

Vtrunq; certissimum sit, agentem poenitentiam propter filium Dei gratis fide accipere remissionem peccatorum, & iustificationem, & hunc esse hæredem uitæ æternæ, sicut Paulus inquit: Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: Si autem filij, hæredes Dei &c.

Et tamen simul uerum est, eos qui effundunt Spiritum sanctum, deficientes à fide, aut ruentes contra conscientiam, nec redeunt ad Deum per poenitentiam, non esse hæredes, sicut dicitur ad Galat. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et 1. Timot. 1. Milita bonam militiam, habens

Mat. 25 bens fidem, & bonam conscientiam, quā quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt. Et *Mat. 25*. Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam.

Ceterum etsi uita æterna datur propter filium Dei renatis, tamen simul etiam est merces bonorum operum, sicut dicitur: *Mat. 5* Merces uestra copiosa est in cœlis. Vt patrimonium est merces laborū filij, etiamsi propter aliam causam filio attribuitur.

Præterea addidit Deus bonis operibus suas quasdam promissiones: quare & pro bonis operibus sanctorum tribuit Deus etiam in hac uita multa spiritualia & corporalia bona, aliàs aliter, ut ipsi sua inenarrabili sapientia uidentur: *1. Tim. 4*. Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ. *Marci 10*. Recipient centuplum in hac uita, sed cum tribulatione, & post hanc uitam, uitam æternam. *Matth. 11*. Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem. *Luc. 6*. Date, & dabitur uobis. *Exo. 20*. Honora patrem & matrem, ut sis longæ-

uus supra terram. Esai. 33. Panis ei dabi- Esa. 33
 tur, aquæ eius erunt certæ: Regem in de-
 core uidebunt: id est, pro obedientia et bo-
 nis operibus Deus dat tranquillas politi-
 as, honestam et placidam gubernationem
 &c. Esaiæ 58. Frange esurienti panem tu- Esa. 58
 um, & eris sicut hortus irriguus &c.

Et notum est exemplum uiduæ Sare- 3. Reg. 17
 ptanæ. Et Psaltes dicit: Opes & diuitiæ in Psal. 112
 domo eius. Quia enim in hac mortali &
 ærumnosa uita Deus Ecclesiam colligit,
 & uult eam esse honestam congregatio-
 nem: præbet ei aliqua hospitia mediocria,
 præbet nidos pijs familijs, puerperis, edu-
 cationi puerorum, propagationi doctri-
 næ, deniq; uult conseruare generis huma-
 ni societatem, œconomias & politias: &
 quidem ideò, ut colligi Ecclesia possit.

Quare propter sanctorum preces, &
 propter eorum diligentiam, & propter
 communem necessitatem, tribuit aliquan-
 do gubernationem minus turbulentam,
 pacem, fœcunditatem agrorum, et alia bo-
 na: ut propter Ioseph, Naaman, Danie-
 lem, regna illa fœliciora erant. Et Ieremi- Ier. 19.
 as cap. 19. præcipit, ut exules in Babylone
 petant

petant hospitio pacem, & salutarem gubernationem. Sicut etiam sæpe propter Ecclesiæ delicta cumulantur poenæ: ut in poena tribus Benjamin, Daudis, & alijs conspicitur. Vult autem Deus intelligi hæc beneficia corpori necessaria, & sciri uult ea diuinitus tribui. Vult in eis petendis exerceri fidem, ut suo loco copiosius dicimus. Nunc ideo hæc pauca addidimus, ut in hac confessione etiam extet testimonium in nostris Ecclesijs, doctrinam de bonis operibus ueram & necessariam fideliter proponi.

DE DISCRIMINE PECCATORVM.

Cum dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto Lucae. 11. Vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, &c. & ex similibus dictis, manifestum est, aliquos renatos contristare & excutere Spiritum sanctum, & rursus abijci à Deo. ac fieri reos iræ Dei, & æternarum poenarum. Et Ezech. 33. scriptum est: Cum recesserit iustus à iusticia sua, & fecerit

rit

rit iniquitatem, morietur in ea: & cum recesserit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iusticiam, uiuet in ea.

Necesse est igitur discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali uita manent, nec excutiunt spiritum sanctum, ab alijs peccatis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Paulus discernit peccatum regnans, & non regnans. Et alibi inquit: Si secundum carnem uiuetis, moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis.

Rom. 5

Rom. 8

Tradit autem regulam in epistola ad Timotheum: Milita bonam militiam, retinens fidem, et bonam conscientiam. Cum igitur homo non retinet fidem, sed aliquam fundamenti partem, id est, aliquem articulum fidei, siue sciens, siue errore amittit, aut idola approbat: ut multi qui falsis dogmatibus decipiuntur, aut non sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione aut desperatione, aut uiolant ullum præceptum Dei contra conscientiam, effundunt spiritum sanctum, & rursus fiunt rei iræ Dei, & pœnæ æter-

1. Tim. 2

æter-

æternæ: & nisi fiat conuersio, tales morientes abiiciuntur in æternas pœnas.

Rom. 8 De his inquit Paulus: Si secundum car
1. Cor. 6 nem uiuetis, moriemini. Et 1. Corinth. 6.
 Nec scortatores, nec adulteri, nec idolatra
Ezc. 18 & c. possidebunt regnum Dei. Et iura
 mentum clarè dicit: Viuo ego dicit Domi
 nus, nolo mortem peccatoris, sed ut con
 uertatur & uiuat. In iuramento partes
 duæ copulatæ sunt, conuersio & uita. Po
 stulat Deus, & quidem iuramento, con
 uersionem. Quare non placent ei, retinen
 tes propositum peccandi.

Complectimur autem in hoc numero,
 & peccata omissionis affectatæ, id est, af
 fectatam negligentiam in officio, quæ pu
 gnat cum dicto: Hoc requiritur, ut fideles
 simus: & ignorantiam affectatam, qualis
 est Pharisæica, & infinitæ multitudinis,
 quæ ueram Ecclesiæ doctrinam non stu
 det inquirere, & ignara retinet idola, aut
 etiam sæuiciam adiuuat in defensione ido
 lorum.

Dictum est de lapsibus, quibus excuti
 tur spiritus sanctus. Alia sunt peccata in
 renatis, retinentibus fidem & bonam con
 scientiam,

scientiam, quæ non sunt corruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam: sed sunt reliquiæ peccati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ uitiosorum affectuum, & omissiones, uel ignorantie non affectatæ.

Hæc mala extenuant quidam, & nominant deformitates præter legem Dei. Sed hæc cœcitas ualde reprehendenda est, & utrunq; considerandum: magnitudo mali in hac tota immundicie, quæ est contraria legi & uoluntati Dei: & rursus magnitudo misericordie & beneficij filij Dei, tegentis hæc tristitia & magna uulnera in hac misera natura.

Iubet autem Paulus his malis repugnare spiritu, id est, Atticus, Scipio, frenant uitiosos affectus ratione: sed Ioseph, Paulus, frenant spiritu, id est, spiritus sancti motibus, uero dolore, uera fide, timore Dei & inuocatione.

Dolet Paulus, sentiens dubitationes, aut alios errantes motus: & fide statuit, hanc immundiciem regi à mediatore: & timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut alijs errantibus motibus. Et simul inuo-

E cat

Psal. 50 cat Deum, & petit auxilium, Cor mundum crea in me Deus.

Cum hoc modo repugnamus prauitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur hæc mala, & dicitur peccatum non regnans, seu ueniale: & non effunditur Spiritus sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum ueram, perspicuam, & Ecclesiæ necessariam esse, manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris Aduersariorum, multi norunt.

Postquam uero breuiter exposuimus summam doctrinæ de iustificatione, nunc & argumenta, quæ contra hanc sententiã obijciuntur, explicanda & refutanda erant. Sed quia alij alia obijciunt, confessionem nostram recitauimus, & offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris confessionis.

DE ECCLESIA.

Vult Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed à Deo conditum esse, & conditum non ad æternum exitum, sed ut colligat sibi in genere humano
Eccle-

Ecclesiam, cui in omni æternitate commu-
nicet suam sapientiam, bonitatem, & læti-
tiam. Et uult conspici filium, propter
quem, & per quem inenarrabili sapientia
& immensa misericordia hanc miseram
naturam hominum restituit. Ideo semper
in genere humano cœtum esse uoluit, cui
tradidit doctrinam de Filio, & in quo
filius ipse instituit & conseruauit ministe-
rium custodiendæ & propagandæ eius
doctrinæ, per quam & efficax fuit, est, &
erit. Et multos ad se conuertit, sicut mani-
festè inquit Paulus: Euangelium est po-
tentia Dei, ad salutem omni credenti.

Sed mirandum & dolendum est, maxi-
mam partē generis humani horribili furo-
re contemnere uocē & testimonia Dei, &
filiū Dei: & in ipso cœtu, qui nomē habet
Ecclesiæ, multas dilaceratiōes semper fac-
tas esse, & ueram Ecclesiam ab externis &
domesticis hostibus oppugnata esse. Hæc
dissidia cum homines intuentur, & qui-
dem uident imperijs, multitudine & glo-
ria antecellere eos, qui alias doctrinas pu-
gnantes cum Euangelio amplectuntur,

dubitant an sit aliqua Dei Ecclesia, quænam, & qualis, & ubi sit.

Ac prophanis dñjudicatio difficilis est: sed uera Ecclesia scit ex testimonijs diuinis, unde sint tanti hominum furores, & inter eos tamen seruari Ecclesiam Dei: & discernit eam à cæteris gentibus, & scit quænam, qualis, & ubi sit.

Vt igitur contra has dubitationes magis confirmarentur omnes sancti, articulus in symbolo propositus est: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam. Hac professione affirmamus, non abiectum esse totum genus humanum à Deo, sed esse, et mansuram esse aliquam ueram Ecclesiã, ratas esse Dei promissiones, adhuc regnare filium Dei, recipere & saluare inuocantes. Et hac erecti consolatione, Deo gratias agimus, & eum inuocamus, & petimus, accipimus, & expectamus æterna bona.

Propter hanc commonefactionem & consolationem articulus in Symbolo recitatur, cum quidem hæc ipsa doctrina de conseruatione Ecclesiæ sæpissimè repetita sit in concionibus diuinis, ut Esaia 59.

Esa. 59

Hoc

Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Et Dominus inquit, Ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Est & haec dulcis consolatio, quod non alibi sint haeredes uitae aeternae, nisi in coetu uocatorum, iuxta illud: Quos elegit, hos & uocauit.

Mat. 28

Rom. 9

Non uagentur animi, intuentes hoc lacrum corpus Ecclesiae, & somniantes forsatis alibi aliquos qui ignorant Euangelium, tamen esse sanctos & domicilium Dei, Fabium, Scipionem, Aristidem, & similes. Sed huc refer oculos. In hoc coetu uocatorum certo scias aliquos electos esse, & ad hunc coetum te adiungito, confessione & inuocatione. Sicut dicit Psal. 26. Vnum petij a Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus uitae meae, ut uideam uoluntatem Domini, & uisitem templum eius.

Psal. 26

Non igitur de Ecclesia, tanquam de idea Platonica loquimur, sed Ecclesiam monstramus,

stramus, quæ conspici & exaudiri potest,
 Psal. 18 iuxta illud: In omnem terram exiuit sonus
 eorum. Vult exaudiri filium æternus pa-
 ter, in toto genere humano, sicut inquit,
 Mat. 17 Hunc audite. Et Psal. 2. Ego constituo
 Psal. 2 regem meum in monte Sion, prædicabo
 præceptum: Dominus dixit ad me, filius
 meus es tu, ego hodie genui te, Et nunc
 reges intelligite &c.

Dicimus igitur, Ecclesiam uisibilem in
 hac uita, coetum esse amplectentium Eu-
 angelium Christi, & rectè utentium Sacra-
 mentis, in quo Deus per ministerium Eu-
 angelij est efficax, et multos ad uitam æter-
 nam regenerat. In quo coetu tamen mul-
 ti non sunt sancti, sed de uera doctrina
 consentientes: ut Mariæ tempore erant
 Ecclesia, Zacharias, Simeon, Ioseph, Eli-
 sabeth, Maria, Anna, Pastores, & alij mul-
 ti, qui de pura doctrina consentiebant, &
 audiebant non Saducæos aut Phariseos,
 sed Zachariam, Simeonem, Annam, Ma-
 riam, & similes &c. Nam etiam cum ual-
 de exiguus coetus est, tamen Deus aliquas
 reliquias seruat, quarum uox & confessio
 exauditur, & subinde ministerium instau-
 rat,

rat, iuxta illud: Nisi Dominus reliquisset ^{Es 4.3}
nobis semen, sicut Sodoma essemus &c.

Itaq; quæ sit Ecclesia, & qualis sit, &
ubi sit, hæc descriptio indicat, sumta ex
manifestis testimonijs diuinis. Nihil dubi
um est, Ecclesiam alligatam esse ad Euan-
gelium, ut Paulus inquit: Si quis aliud Eu ^{Gal. 1}
angelium docet, anathema sit. Et Ioan.
10. Oues meæ uocem meam audiunt. Et ^{Ioan. 10}
Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem me- ^{Ioan. 14}
um seruabit, & pater meus diliget eum, &
ueniemus ad eum, & mansionem apud
eum faciemus. Et Ioan. 17. Sanctifica eos ^{Ioan. 17}
in sermone tuo, sermo tuus est ueritas.

Non sunt igitur membra Ecclesie Dei,
etiãsi titulum & imperia tenent, Sadu-
cæi, Pharisei, & similes, Pontifices, & alij,
qui aliam doctrinam proponunt, dissenti-
entem ab Euangelio, & stabiliunt idola
pertinaciter.

Manifestum est autẽ, aliud genus doc-
trinae, dissentiens ab Euangelio, aduersa-
rios tradere & propugnare, qui docent le-
gem Dei impleri obedientia nostra in hac
uita, & hanc obedientiam mereri remissi-
onem peccatorum. Item, Hac obedientia

homines iustos esse coram Deo: Item, Prauam concupiscentiã non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege Dei.

Item, dubitandum esse cõuersis, an sint in gratia, & hanc dubitationem non esse peccatum. Item, Inuocandos esse homines mortuos. Item, Cultus Dei esse discrimina ciborum, uota monastica, & alios ritus sine mandato Dei electos. Item, Oblationem in missa mereri facienti & alijs uiuis & mortuis remissionem peccatorum, & alia. Item, alias prophanationes Sacramenti multiples & horrendas.

Item, Episcopos posse instituere cultus Dei, & peccata mortalia esse uiolationem cultuum, qui ab eis instituuntur. Item, Possesse legem de cœlibatu imponere ulli ordini hominum. Item, Enumerationem singulorum delictorum necessariam esse ad remissionem peccatorum. Item, Satisfactiones Canonicas, compensationes esse pœnarum purgatorij.

Item, Synodos, in quibus soli Episcopi dicunt sententias, non posse errare. Item, Qui consecrant olea, & alias res sine mandato diuino, & tribuunt eis uim diuinam
contra

contra peccata & diabolos & morbos. Item, Qui inuocationes ad certas statuas approbant, quasi ibi plus sit auxiliij. Item, Qui interficiunt homines honestos, tantum quia hos errores improbant, & ueritatem profitentur.

Hæc cum sint palàm ethnica & idololatrica, manifestum est, defensores eorum non esse membra Ecclesiæ, sed dominari, sicut Pharisei & Saducei dominabantur. Interea tamen fuerunt, sunt, & erunt Ecclesia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamsi alij plus, alij minus lucis habuerunt, habent, & habebunt. Et interdum etiam sancti stipulas extruunt supra fundamentum, cum præsertim in hac temporum miseria multis qui habent initia fidei, non concedatur, ut erudiri, & cum doctioribus colloqui possint. Hi sunt tamen in eorum numero, quibus iubet Deus parci. Ezech. 9. Qui gemunt et dolent, propterea quòd errores stabiliuntur.

Præcipue igitur ex uoce doctrinæ iudicandum est, & iudicari potest, quæ & ubi sit uera Ecclesia, quæ uoce ueræ doctrinæ, deinde & legitimo usu Sacramentorū ab

E 5

alijs

alijs gentibus discernitur: & quæ sit uox ueræ doctrinæ, ostendunt ipsa scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. In his non est ambigua doctrina de fundamento, uidelicet de articulis fidei, de essentia & uoluntate Dei, de filio redemptore, de lege, de promissionibus, de usu Sacramentorum, de ministerio. Et manifestum est, nulli creaturæ, non angelis, non hominibus concessum esse, mutare doctrinam à Deo traditam.

Ioan. 18 Qualis autem sit Ecclesia, ostendit filius Dei, inquiens: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Sicut pater meus misit me, sic ego mitto uos. Colligitur uoce ministrorum Euangelij æterna Ecclesia Deo. Hoc immensum beneficium Dei agnoscere & grati celebrare debemus.

Eph. 4 Quanquam autem Ecclesia est cœtus, qui conspici et exaudiri potest, tamen discernendus est ab imperijs politicis, seu gentibus gladium. Nec iure diuino Episcopi habent potestatem gladio puniendi non obediens, nec imperia mundi occupandi, & tamen in ea ordo est, iuxta illud: Ascendit, dat dona hominibus, Apostolos,

stolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores
& Doctores.

Filius Dei est summus sacerdos, unctus
ab æterno patre, qui ut non funditus in-
tereat Ecclesia, ministros Euangelij ei at-
tribuit, partim à se immediatè uocatos, ut
Prophetas & Apostolos, partim uocati-
one humana electos. Nam & Ecclesie e-
lectionem approbat, & immensa bonita-
te efficax est, etiam sonante Euangelio per
electos suffragijs, aut nomine Ecclesie.

Retinemus igitur & in nostris Eccle-
sijs publicum ritum ordinationis, quo com-
mendatur ministerium Euangelij uiris e-
lectis, quorum mores & doctrinam prius
exploramus.

Et de dignitate ministerij fideliter doce-
mus Ecclesias. Nihil dici maius potest,
quam quod filius Dei inquit: Sicut pater IOAN. 6
meus misit me, sic et ego mitto uos: Oстен-
dit & quæ mandata det, prædicare Euan-
gelium: & affirmat, se per uocem illorum
efficacem fore, sicut pater ostendit se effi-
cacem esse per filium.

Proponimus et mandata Dei: Qui uos LUC. 10
audit, me audit: qui uos spernit, me sper-
nit.

Heb. 13

nit. Item, Obedite præpositis uestris. Nec tamen hæc dicta regnum constituunt extra Euangelium, sed obedientiam præcipiunt, debitam uoci Euangelij: & ad ministerium hæc pertinent, docere Euangelium, administrare sacramenta, uocem absolutionis impertire petentibus, qui non perseuerant in manifestis delictis, ordinare ministros Euangelij ritè uocatos & exploratos, exercere iudicia Ecclesiae legitimo modo: de ijs qui manifestorum criminum in moribus aut doctrina rei sunt, & cõtra contumaces, sententiam excommunicationis ferre, & conuersos rursus absoluerè & recipere. Hæc ut ritè fiant, etiam Consistoria in Ecclesijs nostris constituta sunt.

Diximus autem in descriptione Ecclesiae, multos in hac uisibili Ecclesia esse non sanctos, qui tamen externa professione ueram doctrinam amplectuntur: quia Donatistas improbamus, qui finxerunt, ministerium eorum qui non sunt sancti, non esse efficax.

Improbamus & colluuiem Anabaptisticam, quæ finxit Ecclesiam uisibilem, in qua omnes sint sancti, Ac fatemur, de Ecclesia

clesia uisibili in hac uita sentiēdum esse, si-
cut inquit Dominus Matth. 13. Simile est *Mat. 13*
regnum cœlorum sagenæ missæ in mare,
qua boni & mali pisces colliguntur. Sed
tamen hi qui fiunt hostes ueræ doctrinæ,
desinunt esse membra huius uisibilis con-
gregationis, iuxta hoc dictum: Si quis ali- *Gal. 2*
ud Euangelium docet, anathema fit.

DE SACRAMENTIS.

Discernunt Ecclesiam à cæteris genti-
bus, & ritus quidam diuinitus institu-
ti, qui nominantur usitatè sacramenta: ut
baptismus, & cœna Domini: quæ tamen
non sunt tantum signa professionis, sed
multo magis (ut uetustas dixit) signa gra-
tiæ: id est, sunt cæremoniæ additæ promif-
sioni Euangelij de gratia: id est, de gratui-
ta remissione peccatorum, & de reconcili-
atione, & de toto beneficio redemptionis:
quæ ita instituta sunt, ut singuli eis utan-
tur: quia sunt pignora & testimonia, quæ
ostendunt, ad singulos pertinere benefi-
cia in Euangelio promissa. Nam uox
Euangelij generalis est. Hanc testatur hic
usus, pertinere ad singulos qui sacramen-
tis utuntur.

DE

DE BAPTISMO.

Baptismus est integra actio, uidelicet
 Bmersio, & uerborum pronuntiatio:
 Ego baptizo te in nomine patris, & filij,
 & spiritus sancti. In his uerbis summam
 doctrinae Euangelij comprehensam, saepe
 enarramus. Ego baptizo te: id est, ego te
 stificor hac mersione te ablui à peccatis. et
 recipi iam à uero Deo, qui est pater Domi
 ni nostri I E S V Christi, qui te per filium
 I E S V M Christum redemit, & sanctifi
 cat te spiritu sancto. In huius ueri Dei no
 men, id est, inuocationem, te baptizo,
 quem agnosces & inuocabis, & discernes
 ab omnibus commenticijs numinibus: &
 certo statues tibi tribui beneficia, quæ in
 Euangelio promisit: te esse membrum Ec
 clesiae Dei, quæ per filium redempta est, &
 sanctificatur à spiritu sancto.

Hunc intellectum huius foederis tene
 ant hi, quorum ætas iam doctrinae capax
 est: & hac testificatione confirmati, cre
 dant sibi remitti peccata, & se uerè esse
 membra Ecclesiae Dei, & uera fide uerum
 Deum inuocent: sicut Abraham cogi
 tans de circuncisione, intuebatur promif
 sionem

tionem uenturi seminis, intelligebat se membrum esse Ecclesiae Dei, & tolli maledictionem à se quoque per hoc semen, de quo dictum erat in promissione: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gen. 12

Sic & Petrus docet, Baptismum esse stipulationem bonae conscientiae erga Deum, 1. Pet. 3 per resurrectionem IESU Christi, qui est ad dexteram Dei. Nominatim ait esse stipulationem, qua Deus tecum foedus facit, & te sanatis uulneribus tuae conscientiae recipit, & tu uicissim cum Deo facis foedus, ut hunc uerum Deum inuoces, & credas te per filium Dei resuscitatum ex morte, & regnantem, saluari.

Ita efficax est in te hic filius Dei, sedens ad dexteram aeterni patris, sicut & Paulus inquit ad Galat. Gal. 3 Qui baptizati estis, Christum induistis. Et dari spiritum sanctum in baptismo, affirmat ad Titum, cum ait, Tit. 3 Per lauacrum regenerationis, & renouationis per Spiritum sanctum. Et in Ioan. Ioan. 3 dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum caelorum

Docemus igitur, necessariū esse Baptismum:

mum: & semel tantum baptizamus singulos, sicut circuncisio semel tantum in singulis fiebat, sed doctrinam de significatione & fœdere mutuo utilissimam, sæpe commemoramus.

Retinemus & infantium baptismum: quia certissimum est, promissionem gratiæ ad infantes etiam pertinere, & ad eos tantum qui Ecclesiæ inseruntur. Quia de his dictum est: *Mat. 10.* Sinite paruulos ad me uenire, quia talium est regnum cœlorum. Et Origenes scribit in 6. cap. ad Rom. Ecclesiam ab Apostolis accepisse morem baptizandi infantes. Nec iudicamus hunc morem tantum ociosam cæremoniã esse, sed uerè tunc à Deo recipi & sanctificari infantes: Quia tunc inseruntur Ecclesiæ, ac ad tales promissio pertinet. Exstant autem de hac re multa scripta in nostris Ecclesijs edita, quibus refutantur Anabaptistæ.

DE COENA DOMINI.

ET Baptismus, & Cœna Domini, sunt Epignora & testimonia gratiæ, ut antea dictum est, quæ de promissione, & tota redem

tionem nos commonefaciunt, & ostendunt beneficia Euangelij ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur. Sed tamen hoc discrimen est: per Baptismum singuli inseruntur Ecclesiae, sed coenam Domini simul etiam uoluit Dominus esse neruum publicae congregationis. Vult enim Deus ministerium Euangelij publicum esse, non uult in latebris tantum inclusam teneri Euangelij uocem, sed exaudiri eam: uult se agnosci & inuocari à toto genere humano. Ideo uult publicos & honestos esse congressus, & in his uult sonare Euangelij uocem, uult se ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse confessionis & seiunctionis Ecclesiae Dei, ab altarum gentium sectis & opinionibus.

Conuenit Ioannes Ephesi cum suo coetu, & docet Euangelium, & usu Sacramenti totus coetus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & seiunctum se esse à Dianae, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & uult

seiuñctam esse multis publicis signis à reliquis gentibus. Sic haud dubie suos coetus habuerunt primi patres, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: & deinceps politia Israël habuit multos ritus, ut seiuñctio illa à gentibus esset conspectior.

Mat. 18 Addidit etiam Dominus peculiarem promissionem congregationi: Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorū. Item, Quicquid petent consentientes, fiet eis. Et in Psalm. Psa. 149 Laus eius in Ecclesia sanctorum.

Sintq; promissiones, in quibus Deus affirmat se Ecclesiam seruaturum esse, eò dulciores, quia intelligimus eum publicū ministerium in cōgressibus honestis conseruare & restituere: sicut & in ipsis uerbis Cœnæ inclusa est hæc promissio, cum iubet annunciari mortem Domini, & hæc Cœnam distribui donec uenerit.

Mat. 26 Vt igitur reuerentia maior sit in huius Sacramenti usu, ueræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei uult in publica

publica & honesta congregatione sonare uocem Euangelij. Huius congregationis uinculum uult esse hanc sumtionem, quæ summa reuerentia facienda est, cum ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & summentium: de qua reuerentia Paulus loquitur, inquit: Qui sumit 1. Cor. 11 indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Secunda, uult & concionem, & ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia, uult quemlibet summentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cum concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumtione ostendit te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc foedus tecum: Manete in Ioan. 15 me, & ego in uobis: Item, Ego in eis, & tu in me.

Quarta, uult hanc publicam sumtionem, confessionem esse, qua ostendas, quod doctrinæ genus amplectaris, cui coetui te adiungas. Vult & gratias agi publicè &

priuatum in hac ipsa ceremonia, Deo æterno Patri, Filio, et Spiritui sancto, cum pro cæteris beneficijs, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemptionis & saluationis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese uinculum esse mutuae beneuolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum caussarum commemoratione inuitantur homines ad Sacramenti reuerentiam & usum. Et doceamus, quomodo profit usus. Aperte damnamus portentosum errorem Monachorum, qui scripserunt, summionem mereri remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, Iustus sua fide uiuet. Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini oportere pœnitentiam, seu conuersionem afferre, & accensa iam fide in cogitatione de morte & resurrectione, & beneficijs filij Dei, quærere hic confirmationem huius fidei: quia in usu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia filij Dei. Fit & testificatio, quod te sibi membrum adiungat, &

Habac. 2

& quòd sit in te, sicut dicit: Ego in uobis &c. Ioan. 17

Monemus etiam, ne existimēt propter hoc opus, seu hanc obedientiam remitti peccata, sed ut fiducia intueatur mortem & meritum filij Dei, & resurrectionem eius. Et statuāt propter ipsum nobis peccata remitti, & uelle eum hanc fidem hac commonefactione & iustificatione confirmari. Cum hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiae & gratiarum actio crescunt, prodest sumtio. Nec admittuntur ulli ad communionē, nisi prius à Pastore aut Collegis eius auditi sunt, & absoluti. In hac exploratione interrogantur & saepe erudiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur.

Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac communionē uerè & substantialiter adesse Christum, & uerè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi: Christum testari quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, et quòd abluerit eos sanguine suo,

suo, sicut & Hilarius inquit: Hæc accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

In ipso autem ritu seruamus morem usitatum uniuersæ Ecclesiæ ueteris, Latine & Græcæ. Non fiunt priuatæ Missæ, hoc est, tales in quibus non fiat distributio corporis & sanguinis Christi: sicut nec uetus Ecclesia aliquot seculis post Apostolos, tales Missas habuit, ut descriptiones ueteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, & apud alios ostendunt. Et Paulus expressè iubet,

1. COR. II

simul fieri multorum communionem.

Itaque in publica & honesta congregatione recitantur aut canuntur preces, & symbolum, & lectiones distributæ in dies festos usitato more. Deinde fit concio de beneficijs filij Dei, & de aliqua doctrinæ parte, ut series temporum præbet argumentum. Postea recitat Pastor gratiarum actionem, & preces pro uniuersa Ecclesia, pro potestatibus, & de præsentî necessitate: & orat Deum, ut propter filium, quem uoluit fieri uictimam pro nobis, remittat nobis

bis

bis peccata, & nos saluet, colligat & seruet Ecclesiam.

Deinde recitat uerba Christi, de Cœne institutione, & sumit ipse, distribuit summentibus integrum Sacramentum: qui reuerenter accedunt, antea explorati & absoluti, & ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio.

Hunc ritum, & hanc communionem plurimum, congruere cum scriptis Apostolorum, & cum consuetudine ueteris Ecclesiæ, ferè usq; ad Gregorij ætatem, norunt omnes, non prorsus ignari antiquitatis: quod cum ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum Ecclesiarum consuetudo: sed aduersarij improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alij magis tetros, alij nouis iam artificijs fucatos.

Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in Missa pro uiuis & mortuis, & mereri eam facienti & alijs remissionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum persuasio fuit, & adhuc est similis Pharisaicæ & Ethnicæ. Nam

eodem modo Pharifæi & Ethnici somnia-
bant, se ex opere operato mereri sibi &
alijs remissionem peccatorum, pacem, &
alia multa bona. Aut etiamfi qui minus
cœci uerecundius loquebantur, & dice-
bant mereri ea non sine bono motu sacri-
ficantis, tamen sacrificia ipfa finge-
bant se merita & precium. Hac opinione cu-
mulabantur sacrificia, et crescebant aucu-
pia quæstus. Talis est Missarum mercatus,
& prophanatio Cœnæ Domini, ferè in
toto orbe terrarum.

Vult autem Deus, uitiosos cultus taxa-
ri & aboleri. Ideo uocem diuinam simpli-
citer & uerè proponimus, quæ errores il-
los damnat. Ac toto pectore affirmamus
coram Deo & tota Ecclesia in cœlo & in
terra, tantum fuisse unicum sacrificium
propiciatorium, seu quo ira æterni patris
aduersus genus humanum placata est, sci-
licet, Totam filij Dei Domini nostri Iesu
Christi crucifixi & resuscitati obedientiã.
Ioan. 1 Hic unicus est agnus, qui tollit peccata
mundi. De hoc unico sacrificio dictum
Heb. 10 est Hebr. 10. Vnico sacrificio consumma-
uit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Et

Et hoc sacrificium singulis sua fide applicatur, cum audiunt Euangelium, & Sacramentis utuntur, ut Paulus inquit: Quē Rom. 3
 posuit propiciatorem in sanguine per fidem: Et iustus fide sua uiuet: & in 1. Pet. Hab. 2
 1. Sanctificati spiritu, ad obedientiam & 1. Pet. 2
 conspersionem sanguinis IESV Christi. Cætera sacrificia in ueteri Testamento fuerunt typica, de quibus suo loco copiosius dicitur. Et nequaquam merebantur remissionem peccatorum: & omnes iusticiæ sanctorū omnibus temporibus, fuerunt, sunt, & erunt sacrificia laudis, seu εὐχαριστία, quæ non merentur facienti aut alijs remissionem, sed sunt cultus debiti in singulis, & placent propter mediatorem & summum sacerdotem filium Dei, ut dicitur ad Hebr. Per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo. Hanc esse immotam & æternam ueritatem, manifestissimum est. Heb. 13

Quòd uerò citatur contra tam claram lucem ueritatis, Centones, quos nominant Canones Missæ, etiam manifestum est dissimiles esse Canones, Græcos & Latinos. Et Græcos ipsos dissentire inter sese

de re maxima, & in Latino Canone apparet paulatim assutas esse lacinias ab ignorantibus autoribus.

Vetus Ecclesia utitur nominibus sacrificij & oblationis, sed intelligit totam actionem, preces, sumptionem, recordationem, fidem, confessionem, & gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior, in quolibet conuerso ad Deum, & in tota Ecclesia, est reuera sacrificium laudis, seu εὐχαριστικόν, & λογικὴ λατρεία. Et cum inquit Dominus: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate, affirmat, in nouo Testamento non præcipi externa sacrificia, quæ fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus spiritus sancti, sicut in lege necesse erat cæremoniam paschatos seruari.

1. Cor., 11 Sed de Cœna Domini dicitur, Probet se unusquisque &c. Ita prodest utenti Cœna Domini, cum affert pœnitentiam & fidem, & non prodest ei alienum opus. Præterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum uerbis institutionis Cœnæ, in quibus dicitur, Accipite, manducate &c. Hoc facite in mei
reco-

recordationem. Quid hoc ad mortuos, uel absentes? Et tamen in magna parte Europæ plurimum Missarum fit pro mortuis. Magna multitudo etiam prorsus ignorans, quid agat, legit Missas propter mercedem.

Cum autem hæc omnia manifestè sint impia, facere oblationem, ut loquuntur, ut mereatur uiuis & mortuis: aut facere nescientem, quid agat: horribiliter peccant qui hæc scelera retinent & defendunt. Et cum ritus extra usum institutum non habeat rationem Sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent p̄j et eruditi.

Est & manifesta prophanatio, partem Coenæ Domini circumgestare, & adorare: ubi prorsus transfertur pars ad usum toto genere diuersum ab institutione, cū textus dicat: Accipite, manducate: cum quidem & recens sit hoc spectaculum.

Postremo, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum & monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: Probet se unusquisq;. Item: Quicumque 1. Cor. 11 indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini, Hæc cuique per se nota sunt.

Etsi

Etsi autem Pontifices & hypocrite, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamẽ certissimum est, Deũ horribiliter irasci his sceleribus: sicut in Israël irascebatur sacrificiorum prophanationibus. Et uidemus iræ exempla manifesta, tot regnorum ruinas, uastationem orbis terrarum quam faciũt Turcæ, confusiones opinionum, & multas tristissimas dissipationes Ecclesiarum.

Te autem fili Dei, Domine IESU Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, summe sacerdos Ecclesiæ tuæ, ueris gemitibus oramus, ut propter tuam & æterni patris tui gloriam, deleas idola, errores & abominationes: & sicut ipse precatus es, sanctifices nos in ueritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & ueram inuocationem & corda nostra ad ueram obedientiam flectas, ut grati te in omni æternitate celebremus.

Omniũ angelorum & hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quæ prophanatio cœnæ Domini tot iam sæculis parit. Et nos, cum par oratio tantæ rei nulla esse possit, breuiores sumus:

mus: & in hoc ingenti dolore filium Dei oramus, ut ipse hæc mala emendet: & simul ad declarationem copiosiore nos apud eos offerimus, qui eam audire uolunt. Sed in hac quæstione præcipuè fieri cernimus hoc, quod ait Salomon: Perinde facere canentem carmina prauo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.

Has de sacrificio persuasiones, sciunt aduersarij neruos esse suæ potentiaë & opum. Ideò contrariam orationem audire nolunt. Quidam astute iam lenire absurda discunt. Non est inquit, meritum oblatio, sed applicatio: struunt insidias uerbis, & eosdem abusus retinent.

Diximus autem antea, unumquemlibet fide sua facere sibi applicationem sacrificij Christi, et cum audit Euangelium, & cum utitur sacramentis. Et scriptum est: Probet unusquisq; se ipsum. Non igitur sentit Paulus, cæremoniã alteri non utenti prodesse: & filius Dei ipse sese obtulit, ingrediens in sanctum sanctorum: id est, in arcanum consilium diuinitatis, cernens uoluntatem æterni patris, & ingentem iram sustinens, & causas huius mirandi

1. Cor. 11

di

Heb. 9
Esa. 57
 di consilij intelligens. Hæ res magnæ signi-
 ficantur, cum dicit textus ad Hebræos: Se
 se obtulit. Et cum inquit Esaias: Ponet ani-
 mam suam hostiam pro peccato.

Quid igitur nunc intelligunt sacrificu-
 li, qui dicunt se offerre Christum; nec anti-
 quitas hoc modo locuta est. Sed atrocissi-
 ma oratione nos accusant: dicunt nos de-
 lere iuge sacrificium: sicut faciebat Antio-
 chus, qui typus est Antichristi.

Ioan. 4
 Respondimus etiam antea, nos retine-
 re totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ: &
 iuge sacrificium est, sonare doctrinam in-
 corruptam Euangelij, & rectè inuocare
 Deum: deniq; ut Dominus inquit, est ado-
 rare patrem in spiritu & ueritate. Com-
 plectimur etiam hic uerum usum sacra-
 mentorum.

Hæc omnia cum fidelissimè retinea-
 mus, summa reuerentia retinemus iuge sa-
 crificium: illi abolent, qui ueram inuocati-
 onem & ipsam cœnam Domini multis
 modis corrumpunt, qui iubent inuocare
 homines mortuos, qui Missas uenales ha-
 bent, qui iactitant se oblatione sua a-
 lijs mereri, qui doctrinæ de pœnitentia
 & re-

& remissione peccatorum multos tetros errores miscent: qui iubent dubitare agentes poenitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus & idolis Ecclesiam polluant. Hi sunt Antiochi similes, non nos, qui obedire filio Dei studemus, dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Ioan. 15

Postremò & de usu integri sacramenti pauca quaedam dicenda sunt.

Remoueatursophistica à iudicijs Ecclesiae. Norunt omnes, coenam Domini ita institutam esse, ut detur populo integrum sacramentum, sicut scriptum est: Bibite ex hoc omnes. Nota est & consuetudo ueteris Ecclesiae, Latinae & Graecae. Ideò fatendum est, prohibitionem unius partis iniustam esse. Legitima hominum testamenta uiolare iniustum est: cur filij Dei testamentum, sanguine ipsius obfirmatum, Episcopi uiolant?

Dolendum est autem, tantam esse impudentiam quorundam, ut contra hoc grauissimum argumentum fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta o-mittimus.

DE

DEi beneficio hæc pars doctrinæ in primis magna perspicuitate in nostris Ecclesijs illustrata est, cum Sententiarij eam inextricabilibus labyrinthis inuoluerint. Primum clarè damnamus Catharos & Nouatianos, qui finxerunt, nec labi posse electos in delicta contra conscientiam, nec lapsos post emendationem recipiendos esse. Et extant nostræ refutationes contra hos furores.

Nolumus autem de uocabulo pœnitentiæ serere *λογμαχίας*. Si quis mauult, utatur nomine conuersionis, quo & Propheætæ sæpe usi sunt. Libenter etiam retinemus usitatum uocabulum contritionis: et dicimus partem pœnitentiæ, seu conuersionis primam esse contritionem, quæ est, uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere quòd Deum offenderimus, Et dicimus in his qui conuertuntur, aliquos tales ueros pauores & dolores esse oportere, nec agere pœnitentiam eos, qui manent securi & sine dolore, ut 2. Corint. 7. Contristati estis ad pœnitentiam. Et Ezech. 20. Et displicebitis uobis in

2. Cor. 7
Ezech. 20

bis in conspectu uestro, agnoscetis uos dignos esse pœna & exitio. Et hi ueri dolores sunt sensus iræ Dei, ut suo loco copiosius dicitur.

Hic autem taxamus aduersarios, qui fingunt contritiõem mereri remissionem peccatorum, & oportere contritionem sufficientem esse. In utroq; errore magnæ tenebræ sunt. Nam remissio datur propter mediatorem gratis, & quæ potest esse contritio sufficiens? Imò quo magis crescit dolor sine fiducia misericordiæ, eò magis corda fugiunt Deum, & sustinere nulla natura hanc magnitudinem doloris potest, de qua dicitur: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Sed illa otiosa somnia scriptorum, ostendunt in ipsis & uitæ securitatem, & inscitiam Euangelij. Esa. 38

Fiunt autem hi ueri dolores, cum arguitur peccatũ (ut in Euangelio ostenditur) contemptus filij Dei: Spiritus arguet mundum de peccato, quod nõ credunt in me. Et uoce legis moralis arguuntur alia peccata, ut inquit Paulus: Per legem cognitio peccati. Ioan. 10
Rom. 3

De confessione priuata facienda pastoribus,

G

ribus,

ribus, affirmamus ritum priuatæ absoluti-
onis in Ecclesia retinendum esse: & con-
stanter retinemus, propter multas graues
causas. Sed simul docemus, non præci-
piendam necq; postulandam esse enumera-
tionem delictorum in illo priuato collo-
quio: quia nec diuinitus mandata est illa
delictorum recitatio, nec possibilis est, &
adducit pias mentes in dubitationem, &
fidem languefacit.

Magis uerò hoc taxamus, quòd nusquã
aduersarij in doctrina de pœnitentia uel
conuersione, mentionem faciant fidei iu-
stificantis, de qua suprâ dictum est: qua so-
la uerè accipitur remissio peccatorum, &
cor in sensu iræ Dei erigitur, & liberamur
ex doloribus inferorum, sicut scriptũ est:
Rom. 5 Iustificati fide pacem habemus. Sine hac
fide, dolores fiunt pœnitentia Saulis, Iudæ,
Orestis, & similium in Tragœdijs.

Nec docent Euangelium, sed legem &
humanas traditiones aduersarij, hanc fi-
dem uel omittentes, uel etiam oppugnan-
tes. Cum autem in uera conuersione fiant
hæ mutationes, mortificatio & uiuifica-
tio, ut Rom. 6. & sæpe aliàs dicitur: do-
cendi

cendi caussa distribuimus conuersionem, uel poenitentiam, in tria membra: in Contritionem, Fidem, & nouam Obedientiã. Nam has res complectitur uera conuersio, ut uox diuina, & uera Ecclesiæ experientia ostendunt.

Nec tamen de modis loquendi, aut numero partium cõtentiones mouemus, sed res necessarias in conspectu omnibus esse uolumus. Et maximè necessarium est Ecclesiæ extare doctrinam, ueram, planam, maximè perspicuam de tota conuersione, quæ quidem & in concionibus diuini summa perspicuitate, & sine ullis labyrinthis sæpissimè repetita est, ut Baptista & Christus inquit: Agite poenitentia, *Mat. 3* & credite Euangelio. Item, Agite poenitentiam: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Paulus *Rom. 3*. Omnes carent gloria Dei. Hic de contritione concionatur, postea de remissionẽ: Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem in Christo per fidem.

Necesse est igitur, in doctrina de conuersione, seu poenitentia, fieri mentionem fidei. Nec satis est quòd dicunt aduersa-

rii se quoque de fide loqui, & hanc anteire poenitentiam. Loquuntur enim de noticia doctrinae: Credo remissionem peccatorum, scilicet, alijs dari, sicut & diaboli norunt symbolum: sed Euangelium postulat hanc ueram fidem, quae est fiducia misericordiae propter filium Dei promissae, & acquiescens in filio Dei, quae inquit: Credo remissionem peccatorum mihi quoque dari, & quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter ulla mea merita, sed propter filium Dei, qui immensa bonitate & sapientia diuinitatis constitutus est mediator & propiciator.

Scio mandatum Dei esse immutabile, ut singuli in his doloribus statuunt se certo propter eum recipi. Haec est propria uox Euangelij, hoc decretum ex sinu aeterni patris prolatum est per filium, & sanguine & resurrectione eius obfirmatum est. Huic uoluntati & decreto nolle assentiri, est contemnere filium Dei. Et de hoc peccato inquit Ioannes: *Ioan. 3* Qui non credit filio, manebit ira Dei super eum. Sed qui credit sibi remitti peccata propter hunc mediatorem, iam certo recipit remissionem

nem

nem peccatorum, propter Christum, qui
 efficax est in eo, uiuificat & sanctificat eū
 Spiritu suo sancto: & reconciliatus iam,
 certò reputatur iustus, propter mediato-
 rem, & est hæres uitæ æternæ.

Hanc necessariam consolationem in
 doctrina de conuersione uel omittere, uel
 corrumpere, uel improbare, est manifestè
 delere Euangelium.

De hac fide & commonefacere nos ab-
 solutio debet, & eam confirmare. Sicut
 confirmabatur Dauid, audita absolutio-
 ne, Dominus abstulit peccatum tuum, 2. Reg. 2
 Ita tu scias uocem Euāgelij tibi quoq; an-
 nunciare remissionem, quæ in absolutio-
 ne tibi nominatim proponitur. Non fin-
 gas, nihil ad te pertinere Euangelium, sed
 scias ideo editum esse, ut hoc modo sal-
 uentur homines, fide amplectentes Euan-
 gelium: & mandatum Dei æternum et im-
 motum esse, ut ei credas, Qui non hac fi-
 de amplectitur Euangelium, sed manet in
 dubitatione, frustra audit absolutionem.

Cum hac consolatione corda uiuifican-
 tur, & sunt iam domicilium Dei, certè &
 nouam obedientiam incoari necesse est,

ut suprà dictum est. Ac redire ad scelera, est excutere Deum, & rursus amittere iusticiam & uitam, sicut Ioan. inquit: Qui facit iusticiam, iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est.

Recitauimus autem suprà, summam doctrinæ de noua obedientia.

DE SATISFACTIONE.

QVale uerò chaos sit doctrinæ de Satisfactionibus, quas nominant opera indebita, indicta ab Ecclesia, longum esset recensere, & pauci ante hæc tempora intellexerunt. Non dubitamus autem, in Ecclesijs nostris & totam hanc partem uerè & perspicuè expositam esse. Fuit mos primis patribus, eos qui homicidijs, idolis, aut incestis libidinibus polluti fuerunt, arcere à sua consuetudine, & præcipuè à sacrificijs. Hunc morem & Synagoga retinuit, & retinuerunt in Asia & Græcia, aliæ gentes non prorsus efferæ. Interea polluti uagabantur, circumdati signis reatus: ut uagati sunt Orestes, Adrastus, & alij multi. Hunc morem initio & Ecclesia retinuit. Pollutos arcebat à communione.

ne.

ne. Deinde agentes poenitentiam, ut intel-
ligi posset, serio eos petere ueniam, & ut
exemplum alijs prodesset, non subito reci-
piebat, sed aliquot diebus absolutio diffe-
rebatur, ut publicè petentes conspiceren-
tur. Ita Corinthius incestus arcetur, & po-
stea non sine deliberatione recipitur. 1 Cor. 6.

Hic totus mos exempli causa institutus
est, & politicus est, nihil omnino perti-
nens ad remissionem peccatorum. Creuit
autem deinde superstitione, ut indiceren-
tur ieiunia, abstinentia à coniuge multis
annis. Hæc onera cum nimium creuissent,
Episcopi rursus ea laxarunt. Hæc laxatio
talium rituum, nominabatur Indulgentia.

Harum rerum historiam cum monachi
non considerarent, finxerunt fieri com-
pensationem poenæ æternæ in poenas pur-
gatorij, & in alias poenas huius uitæ. Et
addiderunt, satisfactiones indici ab Eccle-
sia, ut illæ poenæ mitigentur. Et quidem
oportere satisfactiones esse opera non de-
bita lege Dei. Has fabulas monachorum,
quas ne ipsi quidem intellexerunt, reijci-
mus, & retinemus regulas firmissimas:
Poenæ æternæ simul cum culpa remittun-

tur propter filium Dei, non propter ullas
 Hof. 3 nostras compensationes, iuxta illud: O
 mors, ero mors tua: ô inferne, ero pestis
 Rom. 5 tua. Item: Iustificati fide, pacem habemus.

Secundò: Dicimus opera indebita, de
 quibus isti loquuntur, non esse cultus
 Dei, aut compensationes, sed pertinere
 Mat. 17 ad hoc dictum: Frustra colunt me manda-
 tis hominum. Et certè potestas clauium
 non habet mandatum indicendi tales poe-
 nas.

Dicimus etiam, hanc applicationem
 Indulgentiarum, qua Papa alijs applicat
 merita sanctorum, commentitiam esse: &
 Indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi la-
 xationes Canonum, quæ nihil pertine-
 bant ad eas compensationes, de quibus
 monachi loquuntur.

Aliud autem est, loqui de satisfactione
 debita: ut de restitutione furti, usurarum,
 alienæ coniugis, famæ. Hæc restitutio est
 opus debitum, pertinens ad nouam obe-
 dientiam, ut Paulus inquit: Qui furatus
 Eph. 4 fuerat, iam non furetur. Qui retinet alte-
 rius coniugem, nec contritionem, nec fi-
 dem, nec nouam obediētiam habet.

miscen-

miscenda sunt illis nãnijs satisfactionum,
præcepta Dei de restitutione debita,
quam dicimus esse faciendam.

Fatemur & hoc, plurimas horrendas
pœnas in hac uita uagari per Ecclesiam,
per imperia, per familias, propter certa de
licta multorum hominum, etiam electo-
rum: ut seditio mota contra Dauidem, nõ
leuiter afflixit totam illam politiam, et mul-
tas sanctas familias.

Discernimus igitur pœnam æternam,
& pœnam huius uitæ. Et dicimus, pœnã
æternam, tantum propter filium Dei re-
mitti, cum fide iustificamur & uiuifica-
mur. Etsi autem & pœnæ temporales,
præcipue propter filium Dei mitigantur,
qui est umbraculum Ecclesiæ, quia mag-
nitudinem iræ Dei hæc infirma natura su-
stinere non posset, sicut Daniel orat: Pro-^{Dan. 9}
pter Dominum exaudi nos, & respice no-
strum exilium &c.

Tamẽ & hoc docemus, propter ipsam
conuersiõem quoq; mitigari pœnas: quia
in sanctis promissiones legales additæ o-
peribus, non sunt irritæ, sed habent sua
præmia: qualis est, Date, & dabitur uobis.

G 5

Et

2. Cor. 11 Et cum Paulus inquit: Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur. Loquitur de tota poenitentia, nō de illis uanissimis umbris, quas disputant etiā ualere si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Excogitantur autem in hac materia nouæ prestigiae. Fatentur satisfactiones non esse compensationes, sed dicunt admittendas esse satisfactiones castigatorias, sicut 2. Cor. 5 Paulus Corinthium punit. Ea castigatio erat excommunicatio, & fatemur reos manifestorum scelerum, legitimo iudicio & ordine excommunicandos esse, nec est inane fulmen iusta excommunicatio.

Sed tamen potestas Ecclesie non punit uī corporali, carcere, aut inedia, tantum pronunciat sententiam. Carcer & supplicia publica ad politicos gubernatores pertinent.

Tanta est autem peruersitas quorundam, ut quanquā euidentia ueritatis conuinci se intelligant, tamen quærant sophismatum ludos, ne si cederent, prodidisse socios existimentur. Deus, qui est inspector cordium, scit nos simplici studio ueritatem quæsiuisse.

DE

DE CONIUGIO.

Semper in sola Ecclesia Dei mansit incorrupta ueritas de coniugio. Scit enim Ecclesia, Deum in genere humano uagas libidines seuerissime prohibere, & uelle intelligi & præstari castitatem, sicut ipse eam ordinat, ut ipsum quoque sciamus mentem puram & castam esse: & à diabolis discernamus, qui odio Dei delectantur confusionibus libidinum. Et hanc infirmam naturam hominum impellunt, ut horribiliter contaminetur.

Quare & ubique Ethnici quædam tetra exempla admiserunt, & semper hæretici portentosas opiniones de coniugio sparserunt, ut narrant Clemens Alexandrinus & Epiphanius. Et magnam deformitatem in hac extrema mundi senectâ fecerunt Turcici mores, & lex Papæ de cœlibatu. Affirmat autem Paulus, signum esse malorum spirituum, prohibere coniugia. 1. Tim. 4.

Quare summa cura doctrinam Dei de coniugio incorruptam conseruamus, & Dei beneficio magistratus politici in sua gubernatione iudicia coniugiorum instituerunt & tuentur; & seuerè puniunt scelera

lera pugnancia cum lege Dei: & sciunt mandato diuino præcipi sibi curam tuenda castitatis, et coniugij. Tenemus autem ueram definitionem, mandatis diuinis & consuetudini Ecclesiæ Apostolicæ congruentem.

CONIUGIVM, est legitima & indissolubilis coniunctio tantum unius maris & unius foeminae, obseruanda propter mandatum Dei, qui uult hoc modo consociatum esse genus humanum, & castitatem intelligi, & non uagari libidines.

Hunc ordinem sanxit Deus initio, in hoc dicto: *Gen. 2* Erunt duo in carnem unam, uidelicet unicus mas, & unica foemina inseparabiliter iuncti. Et rursus sancita est hæc prima norma à Christo, *Matth. 19.* *Mat. 19* Ut autem sit legitima coniunctio, seruamus personarum discrimina immutabiliter: Ne concedatur commistio personarum, quibus iure diuino non concessa est commistio. Seruantur & regulæ Iuris Canonici, de alijs propioribus gradibus, ut extant ordinationes graui deliberatione traditæ Consistorijs.

Scimus autem uoluntatem Dei esse, ne
prohibe

prohibeatur coniugiū ullis personis, quæ sunt idoneæ ad coniugium: & quæ extra coniugium non uiuerent sine periculo conscientia, sicut Genesis 2. Matth. 19. 1. Corint. 7. scriptum est. Ideo conceditur apud nos coniugium sacerdotibus, & personis alijs, quæ piè in coniugio uiuere malunt, quam in cœlibatu habere fauciatas conscientias, ne Deum inuocare & piè uiuere possint.

Genes. 2

Matth. 19

1. Cor. 7

In desponsationibus, etiam iuxta uetera iura, parentum consensum, accedere uolumus, cum probabili ratione parentes mouentur. De diuortijs firmissimè tenetur regula: Peccare eos, qui uel adulterio, uel desertione initium faciunt distractionis, & adulteri & adulteræ: & desertores & desertrices condemnamus uoce docentium in Ecclesijs, & iudicium in Consistorijs, & à magistratibus seuerè puniuntur.

Sed personæ innocenti, cum re cognita pronunciatum esse libera, non prohibetur coniugium, ut Deum inuocare & piè uiuere possit. Cum enim expresse Dominus liberet personam innocentem, Matth.

Matth. 19

19. cum altera polluta est adulterio, intelligenda

ligenda est liberatio, non tantum nomine, sed re: & Paulus eodem modo loquitur, in casu desertionis. Hæc nostra consuetudo, & cum ueteri Ecclesia congruit. Cæteræ leges in Consistorijs nostris congruunt cum iure Canonico, & populo rectè proponimus totam doctrinam de coniugio & de castitate.

Affirmamus peccata esse damnata à Deo, mortalia, & expellentia Spiritū sanctum, omnes commissiones, seu seminis effusiones extra coniugium: & multas tristes pœnas in hac uita uagari per genus humanum propter libidines, sicut scriptū est: *Heb. 13* Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Et de his pœnis extat comminatio, *Leuit. 18* uit. 18.

Castitatem uerò nominamus, & in uita cœlibe puritatem, & seruare iura coniugij: Et coniugium, ut antea descripsimus, affirmamus esse societatem à Deo institutam & sancitā, et placere Deo hanc ipsam societatem & officia uitæ coniugalis: & damnamus fanaticos omnes, Basilidem, Tacianum, Carpocratem & alios, quorum alij alijs modis uel damnarunt coniugium,

gium, uel tetras confusiones approbaue-
runt. Damnamus & legem Pontificiam,
quæ prohibet sacerdotibus coniugia, &
causam præbet exitij magnæ multitudini
hominum, & ob eandem causam uota
cœlibatus in ijs improbamus qui nō sunt
idonei ad uitam cœlibem, quia hæc omnia
pugnant cum decreto diuino: Dixit Do- Gen. 2
minus, Nō est bonum homini esse solum.
Dixit, id est, sua inenarrabili sapientia de-
creuit, genus humanum hoc modo con-
dere, ut ex societate maris & fœminæ pro-
pagetur. Et duos condidit, ut essent Ec-
clesia: & sanxit has metas, ne uagarentur
libidines. Vult enim intellectum castitatis
esse in genere humano.

Hæc cum dixerit ac decreuerit Deus,
dicunt contrarium, Tacianus, Papa, Mo-
nachi: qui cum prohibent coniugium,
causam præbent multis hominibus, alio-
qui ad uirtutem idoneis, cumulandi mul-
ta & horrenda peccata, propter quæ plu-
rimi in æternum exitium ruunt, & ira Dei
aduersus totum genus humanum magis
irritatur.

Lex humana pugnans cum decreto di-
uino,

uino, & ipso Dei opere in creatione instituto & condito: deinde & cum præceptis diuinis, & quæ fons est magnorum scele- rum, propter quæ & multi pereunt, & ira Dei magis accenditur, imò quam legem Spiritus sanctus oriri à diabolo affirmat, nequaquam Ecclesiæ imponenda est, sed omnium piorum consensu abolenda est.

Non rarò autem his triginta annis acci- dit, ut sacerdotes, quorum mores inculpa- ti fuerunt, & modesti, præcipuè propter coniugium, interfecti sint. Ita diabolus suam legem etiam parricidijs stabilire co- natur: & habet organa, scriptores impu- dentissimos, Eccium, Fabrum, Pygium, qui expresse scripsit, minus peccare sacer- dotem si sit mœchus, quàm si ducat uxo- rem. Talia scribi & dici ab ijs, qui nomi- nari Christiani uolunt, indignum est.

Vident sapientes, in hac mundi senectâ & naturam hominum languidiorem esse, & paulatim maiores disciplinæ laxatio- nes & cōfusiones fieri, & semper ante ex- cidia urbium & ruinas regnorum proxi- mē antecessit licentia in hoc genere. Ideo gubernatores debebant esse uigilantiores
& se-

& feueriores in tuenda disciplina, in mu-
niendis coniugij legibus, in puniendis &
prohibendis uagis libidinibus: de qua re
extare nostras commonefactiones ad om-
nem posteritatem, gaudemus.

Simul etiam oramus filium Dei, Domi-
num nostrum IESVM Christum, cu-
stodem Ecclesiae uere amantem castitatis,
ut Spiritu suo casto in plurimorum cor-
dibus accendat castitatem, & flectat men-
tes gubernatorum ad salutaria consilia, et
reprimat diabolum, flammam libidinum
accendentem, & impediatur ne turpia exem-
pla late uagentur.

Expauescant omnium piorum animi
& pectora, cum tetra & horrenda exem-
pla ethnica legunt, uel audiunt, quae qui-
dem deinceps & caecitas in mentibus, &
alii furores exitiosi totis gentibus comitati
sunt, ut in historijs omnibus obuia sunt
exempla.

Scedasi filias duo Spartani stupratas in
puteum abiecerant: postea quasi in illo
ipso uestigio trucidatus est exercitus La-
conicus, & imperij mutatio facta est. Sed
multa sunt omnium aetatum exempla. Me-

H

minimus

minimus ipsi, Episcopos aliquot præstantes nobilitate & ingenijs, in adulterijs interfectos esse.

Sed oramus filiū Dei, ut ob hanc ipsam causam plurimos custodiat, & ad castitatem flectat, ut à pluribus rectè inuocari possit. Quæ uero pro defensione cœlibatus ab aduersarijs citatur, perinde ad causam accommodata sunt, ut quod Tacianus citabat, ex Euangelio secundum Aegyptios dictum Christi ad Salomen: Veni soluere opera mulieris. Id interpretabatur Tacianus, Veni soluere, id est, abolere coniugium, cum Christi uerba loquerentur de Heuæ lapsu, & miserijs secutis eum lapsum, sicut & Ioannes scribit: Venit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

1. Ioan. 3

DE CONFIRMATIONE ET VNCTIONE.

NOtum est, formas cōsecrandi oleum, magicas & execrandas esse: ideo nec unctiones illæ, in quibus usus est eius olei, tolerandæ sunt. Et uetustas hos ritus longè aliter exercuit, quàm nunc exercentur. In ritu confirmationis, fiebat exploratio doctrinæ

doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & palàm profitebantur se improbare furores Ethnicos & hæreticos, & uelle se esse & manere ueræ Ecclesiæ membra, & non discessuros à uera sententiâ, quam tunc profitebantur.

Hic mos erat utilis ad erudiendos homines, & retinendos in uera agnitione Dei. Ac in Ecclesijs nostris similia fiunt in catechesi iuniorum, & in priuata confessione, in qua pastores doctrinam populi explorant.

Sed ritus confirmationis, quem nunc Episcopi retinent, quid est nisi inanis umbra? Præterea Vnctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio, ut ex Iacobi epistola perspicuū est. Nunc spectaculum est plenum superstitionis. Dicunt remitti peccata, per istas unctiones: & addunt inuocationem mortuorum, quam etiam necesse est improbari.

Ideo hi ritus non seruantur in nostris Ecclesijs, nec ante hæc tempora Ecclesia sensit esse necessarios. Cæterum pro ægrotis fiunt publicè & priuatim piæ preces, sicut promisit Deus se etiam corpora

les ærumnas petentibus mitigaturum esse, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te.

Psa. 49

Fiunt & funera honesta cōgregatione, & p̄ijs commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITIBVS IN ECCLESIA INSTITVTIS, AVTORITATE HVMANA.

NATURA rationalis ordinem intelligit, & intellectus ordinis non obscurum testimonium est de Deo, nec uiuere homines sine aliquo ordine possunt, sicuti in familijs uidemus oportere distincta esse tempora laborum, quietis, cibi, somni, & optima quæq; natura, in tota uita maxime est amans ordinis. Ac iubet Paulus omnia in Ecclesia fieri decore & ordine.

1. Cor. 14

Fuit igitur semper, inde usq; ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congressuum: fuit aliqua temporum & aliorum quorundam rituum distinctio, haud dubie plena grauitatis & elegantiae, apud illa excellentia lumina generis humani, quando in eodem horto aut tugurio

rio

rio confederunt Sem, Abraham, Isaac, & horum familiae: & audita concione Sem, de uero Deo, de filio Dei, de distinctione Ecclesiae, & aliarum gentium, postea simul fecerunt inuocationem.

Quanquam igitur esse ritus aliquos honestos ordinis causa oportet, tamen homines proni ad superstitionem facile deprauant hos ritus, affingunt tales observationes esse merita remissionis peccatorum, & iusticiam coram Deo: uertunt signa in numina, sicut multi statuis tribuerunt numen, & multi uel superstitione uel tyrannide cumulant ritus: ut superstitio in Ecclesia auxit ritus satisfactionum, ut nominant. Nabuchodonosor, Antiochus, quia iudicant consensum in religione prodesse ad regni concordiam & tranquillitatem, cultus instituunt, quos pariter à subditis obseruari uolunt.

Ibi non superstitione, sed tyrannide nouae leges & noua numina proposita sunt. Haec ita fieri in genere humano, turbari et mutari ueras & falsas religiones uidemus, & causas miramur, cur non constanter perseuerent homines in ueritate à Deo monstrata.

H 3

Sed

Sed uox diuina affirmat, à diabolis impelli homines, ut à Deo deficient: & natura hominum cœca, curiosa, leuis, amat ludos uariarum opinionum.

Aduersus hæc magna mala, præmunit & confirmat Ecclesiam Deus: & certam, quæ quidē comprehensa est in libris Prophetarum, & Apostolorum, & Symbolis. Quare necesse est considerare, quales sint leges seu ritus, & unde sint.

Est igitur **PRIMA** Regula: Nulli creaturæ, non angelis, non hominibus, non regibus, non Episcopis licet condere leges, aut ritus pugnantes cum uerbo Dei. Ut horribiliter peccauit Rex Babylonius, quanquam excellens sapientia & uirtute, iubens adorari statuam. Et peccant omnes homines, qui talibus edictis aut legibus obtemperant: sicut Heua peccabat, discedens à mandato diuino propter diaboli mendacium. Sed uniuersaliter Regula seruanda est: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Talia sunt edicta, quæ præcipiunt inuocari homines mortuos, aut amplecti falsam doctrinam, aut obseruare impios cultus.

cultus. De his omnibus tenenda est regula primi præcepti: Fugite idola. Talis est ^{1. Cor. 10}
 & lex de cœlibatu sacerdotum, quem plurimi sine peccato obseruare non possunt. Etsi autem scimus, quid de legum mutationibus uiri politici iudicent, tamen Deus sic ordinauit obedientiam, ut uelit nos cum ipso copulatos esse, & congruere cum sua sapientia & iusticia: unde sunt hæ regulæ immotæ & æternæ: Non habe ^{Exo. 20}
 bis Deos alienos. Item: Oportet Deo ma ^{Actor. 5}
 gis obedire, quàm hominibus. Item: Si ^{Gal. 1}
 quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

SECUNDA Regula: Cum usitatum sit, superstitiones addere operibus, quæ alioquî suo genere erant indifferentia, ut non uesci carnibus, necesse est superstitiones & errores qui adduntur taxare, & in usu libertatis modestè ostendi possunt doctrinæ exempla.

Est autem error non obscurus, quem stultitia multorum docentium, & populi plerunque addit, quod docent & existimant, ieiunia & similia opera mereri remissionem peccatorum, tum culpæ tum

pœnæ: ut & Thomas scribit de satisfacti-
onibus, & plurimi sic loquuntur.

Hæc Pharisaica imaginatio facile capit
animos, & obscurat lucem doctrinæ de
beneficijs Christi proprijs, & de gratuita
remissione, & de fide. Cum enim putant
homines mereri se remissionem peccato-
rum, his suis ritibus, transferunt honorem
debitum Christo, in hos ritus, & aliquan-
tis per inani fiducia tument. Postea tamen
in ueris doloribus ruunt in dubitationes,
quæ sunt eis exitio. Et per sese magnum
peccatum est, nō nosse beneficia filij Dei.

Propter hanc causam Paulus tam acri-
ter dimicat de abrogatione circuncisio-
nis, & aliarum cæremoniarum legis Mo-
saicæ, ne uera agnitio Mediatoris extin-
gueretur, si existimarent se mereri remissi-
onem peccatorum, & iustos esse hac ob-
seruatione legis & cæremoniarum Mofi,
sicut Pharisæi contendebant. Et sæpe mo-
net Paulus, ut caueamus, ne nouis cære-
monijs humanis lux Euangelij obscure-
tur.

Secundus error minus conspicuus est,
sed tamen perniciosus. Postquam uident
aliqui,

aliqui, non posse defendi hunc Pharisaicum errorem, delabuntur huc: Etsi, inquit, non merentur hæ cæremonia remissionem peccatorum, tamen, quia sunt bona opera & cultus Dei, defenduntur hæ traditiones: ut in lege Mosi Nazaræorum abstinentia, etsi non merebatur remissionem peccatorum, tamen Deo placebat, & erat cultus Deo gratus.

Hoc fucō recens quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his medijs rebus dimicant, sed alios tetros errores & opinionem de potestate Episcoporum stabilire conantur.

Necesse est autem, pios hic cauere doctrinae insidias. Magnus error in hoc ipso fucō inest, Non rectè citatur exemplum ex Mose. Longè differunt opera à Deo instituta & ordinata, ab operibus non mandatis & non ordinatis à Deo, sed tantum consilio humano excogitatis. Erant cultus Dei opera in lege Dei ordinata, etsi remissionem peccatorum non merebantur. At ἐβελοθησκέαι excogitatae ab hominibus sine mandato Dei, nec fuerunt, nec sunt cultus Dei. Nequaquã probat Deus

H 5

hanc

hanc audaciam hominum, quæ tamen
semper usitata fuit, fingendi cultus, id est,
opera, quorum finis immediatus sit, ut
Deus per ea honore afficiatur. Ideo excla-
mat uox diuina: Frustra colunt me man-
datis hominum. Et passim in Prophetis
& apud Paulum taxatur hæc audacia.

Mat. 17

Sed uerí cultus sunt opera à Deo man-
data, quæ fiunt in agnitione & fiducia me-
diatoris, hoc fine, ut Deo præstetur obedi-
entia, & profiteamur hunc uerè esse De-
um, quem sic colimus. Ita Ezech. 20. re-
uocat nos ad præcepta diuina, inquiens:
In præceptis patrum uestrorum nolite in-
cedere, sed in præceptis meis ambulate.
Et sæpe repetitæ sunt hæc conciones. Et in
Psal. Lucerna pedibus meis uerbum tu-
um. Et in Nume. cap. 15. Non sequantur
cogitationes suas.

Eze. 20

Psal. 118

Num. 15

Tertius error est: Hypocritæ fingunt
talia opera perfectiones esse, ut monachi
sua uota plena uanitatis anteferunt uitæ
politice, & œconomice: cum Deus mi-
rando consilio sic consociauerit genus
humanum, & in his laboribus & pericu-
lis uelit conspici fidem, inuocationem,
cons

confessionem, mutuam beneficentiam, tolerantiam, & alias uirtutes.

Quartus error est opinio necessitatis, ut scribunt quidam, Ieiunium quadragesimæ necessarium est: alia arbitraria sunt.

Nec tantum carnificina est conscientia, iudicare non esse Christianum, non esse membrum Ecclesiae Dei, comedentem carnes die sexta, aut non seruantem ieiunium quadragesimæ.

Sed error est obscurans res maximas, doctrinam de iusticia Euangelij, & de Ecclesia, qualis sit, & quomodo discernenda sint membra Ecclesiae, non cibo & potu, sed fide, inuocatione, & cæteris uirtutibus. Ac contra opinionem necessitatis expresse dicitur Coloss. 2. Nemo uos iudicet in cibo & potu. Et Galat. 5. In libertate qua Christus uos liberauit, stete, nec rursus iugo seruitutis implicemini. Et opinio necessitatis magnas discordias semper peperit: ut olim contentiones fuerunt de die Paschatos, de fermento, & nunc similes contentiones multæ exortæ sunt.

Quintus error accedit ad priores opiniones. Et hic error, quod Episcopi sibi sumunt

sumunt potestatem instituendi nouos cultus, & obligandi conscientias, ut Gregorius constituit, ut mariti translati ad ordinem præsbyterorum, relinquerent consuetudinem coniugum, et constitutio de confessione præcipit enumerationem, & decreta facta sunt de discrimine ciborum & ieiunio &c.

De talibus traditionibus etiam libri exstant recentes pleni labyrinthorum, in quibus scribitur, Peccata mortalia esse, uisiones talium rituum, etiam extra casum scandali. Gerson quæsiuit ἐπιεικείας: sed uera consolatio est uox Euangelij, quæ uult hunc intellectum libertatis in Ecclesia notum esse & conseruari, uidelicet remotis illis erroribus, de quibus dictum est.

Ritus humanos honestos, ordinis causa factos, seruari posse sine opinione meriti, cultuum & necessitatis, ut supra dictum est ex Coloss. Nemo uos iudicet in cibo aut potu &c. Et Petrus inquit: Quid tentatis Deum, imponentes iugum ceruicibus discipulorum, quod neque patres uestri, neque nos portare potuimus?

Colos. 2

Acto. 15

Ter

TER TIA Regula: Remotis erro-
ribus illis, de quibus doceri Ecclesiam ne-
cesse est, postea ritus aliquos honestos, bo-
ni ordinis causa factos, & seruamus, &
seruandos esse docemus: ut sine ordine
homines uiuere non possunt. Et Paulus 1. Cor. 14.
inquit: Omnia decore & ordine fiant.

Et extat Athanasij dictum: Vtiles sunt
cæremoniæ, sed cum cognitione ueritatis
& mediocritate. Hanc uocem apparet op-
positam esse superstitioni, quæ tunc quo-
que augebat cæremonias, & obscurabat
ueritatem, & onerabat conscientias & Ec-
clesias.

Agimus autem gratias Deo, æterno pã-
tri Domini nostri **IESV** Christi, qui
propter filium, & per eum, æternam Ec-
clesiam colligit, quòd inde usq; ab initio
generis humani conseruauit publicum
ministerium Euangelij, & honestos con-
gressus, qui ipse etiam distinxit quædam
tempora: & oramus eum, ut deinceps ser-
uet & regat Ecclesiam.

Et studiose docemus, ut omnes adiu-
uent conseruationem publici ministerij,
& uiu

& uitent scandala & dissipationes, ut suo loco copiosius dicitur.

DE VITA MONASTICA.

OMittimus longiorem commemorationem de ueteribus historijs, eorum qui uel in solitudinem secesserunt, ut Antonius: uel collegia similia scholis instituerunt, extra ciuitatum frequentiam, ut Basilus. Aliæ enim alijs causæ fuerunt secedendi. De præsentibus monachis iam loquamur, qui minimè sunt in solitudine. Collegia sunt hominum, uel doctorum, uel indoctorum, in mediâ luce & frequentia commodius uiuentium, quàm uiuunt alij homines. Habent uoluptates quas expetunt, alij alias. Et multò plus ocij, quàm cæteri homines in uita politica & œconomica.

Ne ipsi quidem iam illa ridicula encomia de perfectione, & de uita completiua ad se transferunt, ut olim aliqui fecerunt. Et cum magna sit dissimilitudo hominũ in illis sodalitijs, non uolumus concionari malis, qui propter culinas & licentiam illas latebras amant; sed sanabiles obtestamur

mur propter gloriam Dei & suam salutem, ut cogitent hæc dicta: Non habebis Exo. 20 Deos alienos: Fugite idola. Qualis nunc 1. Cor. 10 est uita monastica. Plurimum habet impiorum cultuum & uanitatis: Missas habent uenales pro uiuis & mortuis, & hic quæstus est in plerisque monasterijs maximus.

Vsitata est ibi & mortuorum inuocatio, cumulata multis tetræ superstitionibus, statuarum adorationibus, indulgentijs, & alijs imposturis. Studia doctrinæ aut nulla sunt, aut corrupta.

Hæ solæ causæ satis magnæ sunt, cur homines non prophani ex illis sodalitijs discedere debeant. Quia uota quæ implicent te generi uitæ, in quo est cultus idolorum, sunt haud dubiè irrita, iuxta primum mandatum, quod est immotum & æternum, & regula omnium aliorum præceptorum: **NON HABEBIS DEOS ALIENOS.** Exo. 20

Citant ex Paulo de uidiuis: Primam 1. Tim. 5 firmam irritam fecerunt. Sed responsio firma & perspicua est. Etiam si loqueretur Paulus de uotis, tamè talia uota nullo modo pro-

do probaret, quæ coniuncta sunt cum cultu idolorum, & multis erroribus. Sunt autem & alia multa mendacia in uotis. Promittunt castitatem & paupertatem: quàm multi uerò sint idonei ad uitam cœlibem, ipsi norunt. Deinde de paupertate, sciunt multò plures quærere ibi culinas instructas, quàm inopiam & famem.

Iam hoc quoque considerandum est: Excusent & laudent uitam monasticam homines disertí ut uolent, tamen semper hæc opinio in hominibus non prophanis hoc exemplo confirmatur: Quod talia opera electa humano consilio sint cultus Dei, id est, opera per quæ iudicet Deus se honore affici. Hæc opinio taxanda est, & hominum mentibus euellenda est, & retrahendi sunt homines ad mandata Dei, iuxta hoc dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Non in præceptis patrum uestrorum, sed in præceptis meis ambulate. Hæc reprehensio uitæ monasticæ uera & illustris est.

Iam si affingunt merita & perfectiones, magis obscuratur Euangelium de iusticia fidei, & ueris cultibus. Quia retrum
& horri-

& horribile mendacium est, obseruationes monasticas mereri remissionem peccatorum, aut tantundem ualere quantum ualet baptismus, sicut Thomas expresse dicit. Nec fuit ignota antiquitati hæc reprehensio. Extat enim narratio seu uera, seu docendi causa scripta, quæ tamen iudicia piorum indicat.

Scribunt, Antonio cupienti scire quantum apud Deum profecisset in illis exercitijs solitudinis, monstratam esse domum futoris Alexandrini, uicinam portæ. Ingressus igitur, alloquitur patrem familiars, interrogat de doctrina & de exercitijs pietatis. Hic rectè de doctrina respondit. Postea ait, se manè breui precatone Deo gratias agere, & pro cæteris beneficijs, & quòd filium miserit. Deinde petere se remissionem peccatorum propter filium, & orare ut Ecclesiam seruet & suam familiam: orare & filium, ut pro nobis intercedat, & hac fide acquiescere, & lætum facere domesticas operas, & curare, ut filij rectè doceantur. Non alia, inquit Antonius, habes exercitia duriora? Parum ne sustinet laboris, inquit iste, qui familiæ
I uictum

uictum quærit? & multa subinde incidunt, quæ patrem familiâs duriter excruciant, & accedunt onera communia ciuium. Non uides, quantum sit priuatarum & publicarum miseriarum in uita? quas rectè ferre, & in his exercere fidem & patientiam, fatis ne duram militiam esse existimes. Abijt Antonius, & intellexit se commone fieri, ne anteferret sua exercitia officijs uitæ communis. Tales narrationes, & aliæ leguntur: quæ etiamsi docendi causa ita scripta sunt, tamen ostendunt eruditorum iudicia.

Nec iam longiorem disputationem addere opus est, præsertim cum nemo in illis locis, ubi sunt monachi, ignoret, plurimum esse prauarum superstitionum in monasterijs, & studia doctrinæ uel nulla, uel corrupta esse. Deliberationem uerò de modo emendationis, relinquimus ijs qui præfunt.

In multis locis defunt pastores Ecclesijs, aut deest uictus pastoribus. His primum opitulandum erat ex redditibus monasteriorum locupletium. Postea pauperum quoque studia inde iuuanda sunt, & in alijs

in aliquibus scholæ constitui possunt, præfertim cum necesse sit Ecclesiam multis pauperibus præbere sumtus ad discendum, ut ex eo numero legantur pastores & ministri, qui doceant Ecclesias. Hospitalia etiam inde iuuanda sunt, in quibus pauperes, qui diuturnis morbis laborant, ali necesse est.

Ad tales usus uerè pios, ad alendos pastores, pauperes & scholasticos, ad constituendas scholas, ad iuuanda hospitalia magna pars reddituum in monasteriis, in his regionibus Dei beneficio translata est. Reliquum in œconomiam, in quolibet monasterio impenditur: & stulticia est, existimare œconomias non esse sumtuosas.

Abbates uerò ditiores hoc tempore, in quales usus profundant redditus, exempla multorum ostendunt, quos nominare possemus, qui pariter literas, religionem & uirtutem oderunt, & helluantur de his eleemosynis, & aut nullos pastores Ecclesijs suis præficiunt: aut si quos habent, esurire sinunt.

DE INVOCATIONE HOMINUM
PIORVM, QUI EX HAC
VITA DISCESSE=
RVNT.

Esa. 42 **I**N capite Esaiaë 42. scriptum est: Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Est autem gloria Dei propriissima, inuocatio: ut **Mat. 4** 4. inquit Dominus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Et immotum ac æternum decretum est primi præcepti: Non habebis Deos alienos. **Exo. 20** Necesse est igitur in Ecclesia doctrinam de inuocatione purissimam extare, ad quam corrupendam inde usq; ab initio generis humani diabolus uarijs modis semina sparsit, & semper sparget. Quare uigilantiores esse debemus, & maiore cura retinere modum inuocationis, seu adorationis, propositum in uerbo Dei, iuxta **Ioan. 14** dictum: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciet. In his uerbis sancitus est modus, quem constantissime tueri debemus: non miscere alios modos, pugnantes cum uoce diuina, aut qui nullo exemplo probato in scripturis confirmati sunt. Nulla

Nulla maior uirtus est, nulla efficacior
 consolatio, quam uera inuocatio. Neces-
 se est igitur taxare eos, qui ueram inuoca-
 tionem uel negligunt, uel corrumpunt: &
 sunt corruptelæ uariæ. Multi non discer-
 nunt suam inuocationem ab Ethnica, ac
 ne cogitant quidem, quid alloquantur.

De his inquit Dominus in capite Ioan-
 nis 4. Vos adoratis quod nescitis. Vultq; ^{Ioan. 4}
 Ecclesiam cogitare, quid alloquatur, in-
 quiens: Nos adoramus quod scimus. Mul-
 ti non cogitant, an, & quare exaudiantur.
 Recitant preces, & dubitant tamen,
 cum scriptum sit: Postulet in fide, nihil ^{Iacob. 1}
 hæsitans. De his materijs alibi dicemus.

Hoc loco reprehendimus hanc corru-
 ptelam Ethnicam, quòd defenditur con-
 suetudo alloquentium homines, qui ex
 hac uita discesserunt, & petitur ab eis uel
 auxilium, uel intercessio. Talis inuocatio
 aberrat à Deo, & tribuit uel efficaciam
 creaturis, uel auxilium, uel intercessio-
 nem. Nam qui uerecundius locuti sunt,
 de sola intercessione dixerunt. Sed huma-
 na superstitio longius procedit, & effica-
 ciam tribuit, sicut multæ cantiones publi-

ca ostendunt: Maria mater gratiae, Tu nos ab hoste protege, In hora mortis suscipe. Hos uersiculos audiuius doctorem Theologiae monachum praefari morienti, & saepe repetere, cum quidem nullam Christi mentionem faceret: & possent exempla multa recitari.

Accedunt & alij furores. Alij apud alias statuas existimantur esse magis propicij. Hi furores cum palam similes sint Ethnicorum, & haud dubie ualde irritent iram Dei, & a docentibus taxandi sunt, & a pijs magistratibus seuerè puniendi.

Reprehensio autem perspicua argumenta haec tria continet. Creaturis tribuere omnipotentiam, est impietas: Inuocatio creaturae, quae est extra hanc uitae consuetudinem, tribuit ei omnipotentiam: Quia confessio est, quod intueatur omnium corda, & discernat gemitus ueros a simulatis. Haec tantum tribuenda sunt aeterno Patri, & Filio eius Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto. Nequaquam igitur inuocatio ad homines, qui ex hac uita discesserunt, facienda est.

Dolendum est, haec mala non intelligi.
Sed

Sed te ipsum aspice, & considera quid agas. In hac inuocatione discedis à Deo, nec cogitas quid inuoces: & scis illos optulatores, quos quæris, Annam, aut Georgium, non uidere motus tui cordis: qui quidem si scirent se inuocari, etiam cohortescerent, nollent hunc honorem Deo debitum tribui ullis creaturis. Qualis autem est inuocatio ad furdos?

Et si scimus quid respondeant aduersarij (finxerunt enim sophismata, ad eludendam ueritatem) tamen diuina testimonia ipsorum responsioni defunt.

Et precatio quæ est sine fide, hoc est, ubi non potes statuere, an talem inuocationem approbet ac recipiat Deus, inanis est.

Meminimus Lutherum sæpe dicere: In ueteri Testamento illustre testimonium esse diuinitatis Messiaë, quod affirmat eum inuocari. Et hac proprietate Messias ibi à cæteris Prophetis discernitur. Id grauisimum testimonium querebatur obscuratum & labefactum esse, translata inuocatione ad alios homines. Ac propter

hanc solam causam, dicebat, consuetudinem alios inuocandi improbandam esse.

SECUNDVM argumentum. Irrita est inuocatio sine fide, & nullus cultus in Ecclesiam sine mandato diuino inuehendus est. Nulla autem extat sententia, quæ ostendat inuocationem hanc, quam defendunt, ad homines factam, Deo placere, & efficacem esse. Est igitur irrita inuocatio. Qualis est enim precatio, hoc modo accedere ad Annam, aut Georgium. Inuoco, sed dubito utrum tua intercessio mihi proffit, dubito an me audias, an mihi opem feras.

Si homines hæc arcana peccata intelligerent, execrarentur tales preces, ut reuera sunt execrandæ, & sunt Ethnicæ. Postea ex talibus initijs quanti furores sequuntur? concursus & inuocationes ad certas statuas, petitio certorum beneficiorum à singulis: ab Anna, ut à Iunone, petuntur diuitiæ: à Georgio, ut à Marte, uictoriæ: à Sebastiano, Rocho, depulsio pestilentiae: ab Antonio, defensio porcorum &c. Hæc etiam si aduersarij dicunt se non

se non probare, tamen lucri causa retinent, ut manifestum est.

Adiungamus & **TERTIVM** argumentum. Expresse scriptum est: **Vnus** 1. Tim. 2 est Mediator Dei & hominum, homo **Christus IESVS**. Hunc in omni inuocatione intueri nos oportet, & Euangelij doctrinam de eo nosse: Quod nemo accedere ad Deum possit, nisi fiducia huius Mediatoris, qui simul interpellat pro nobis, ut ipse inquit: **Nemo uenit ad patrem,** Ioan. 13 nisi per filium. Et iubet ipse nos ad sese confugere, inquit: **Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.** Et modum inuocationis ipse docet, cum ait: **Quicquid petieritis** Ioan. 16 **patrem in nomine meo, dabit uobis.** Patrem nominat, ut seiungas tuam inuocationem ab Ethnica, & cogites quid alloquaris. Cogites hunc uerum Deum esse, qui se patefecit misso filio. Non uagetur animus, ut Ethnica mulier in Tragœdia dicit. **Inuoco te Deus, quicquid es &c.**

Sed hunc esse uerum Deum scias, qui se patefecit misso filio, crucifixo & resuscitato, & talem agnoscas, sicut se patefecit.

I 5

Deinde

Deinde scias, hunc ita certò recipere & exaudire inuocantes, cum ad mediatorem filium, crucifixum pro nobis, & resuscitatum confugimus, & petimus nos propter eum recipi, exaudiri, iuuari, & saluari. Nec alio modo ullus homo recipitur à Deo uel exauditur.

Nec incerta est hæc inuocatio, sed iubet sic inuocantes firma fide statuere, hunc cultum Deo placere, & sic inuocantes certò recipi & exaudiri. Ideò inquit: Ioh. 14 Quicquid petieritis in nomine meo, id est, me agnoscentes, & nominantes, seu inuocantes tanquàm redemptorem, summum sacerdotem, & intercessorem.

Solus hic summus sacerdos ingreditur in sanctum sanctorum: id est, in arcanum consilium diuinitatis, & cernit pectus æterni patris, & pro nobis interpellat, & nostros dolores, gemitus, & preces ad eum perfert, scrutans corda nostra.

Hanc doctrinam de Mediatore obscuratam & corruptam esse, manifestum est, cum confugerent homines ad Matrem uirginem, tanquàm magis propiciam & alij alios mediatores quærerent.

Ac

Ac manifestum est, nullum extare exemplum in Prophetis, aut Apostolis, ubi fiat compellatio ad homines: Exaudi me Abraham, uel, Exaudi me Deus propter Abraham. Sed compellatio fit ad Deum, qui se patefecit: uidelicet ad æternum Patrem, Filium IESVM CHRISTVM, & Spiritum sanctum, ut recipiat, exaudiat & saluet propter filium.

Fit & expresse ad filium, ut 2. Thessal. 2. 2. Thes. 2. Ipse Dominus noster IESVS Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, cõfirmet uos &c. Et Gen. 48. nominat Iacob Deum, & Mediatorem filium, cum ait: Deus, coram quo ambulauerunt patres mei, & Angelus qui eripuit me de cunctis malis (id est, promissus saluator) benedicat pueris istis. Vtimur igitur his formis. Gen. 48.

INVOCO te omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri IESV Christi, conditor cœli & terræ, & omnium creaturarum, unà cum filio tuo Domino nostro IESV Christo, & spiritu sancto tuo, sapiens, uerax, bone, iuste, liberrime, caste, & misericors, miserere mei, & iustifica me
per

per & propter IESVM Christum, filium tuum crucifixum pro nobis, & resuscitatum, exaudi & sanctifica me spiritu sancto tuo.

Inuoco te IESV Christe, fili Dei, crucifixe pro nobis, & resuscitate, miserere mei, intercede pro me, apud æternum patrem, & sanctifica me spiritu tuo sancto.

In his formis scimus quid alloquamur. Et cum extent testimonia uerbi Dei, quæ ostendunt hanc inuocationem Deo placere, & exaudiri, talis inuocatio fide fieri potest.

Hæc non sunt in inuocatione, quæ fit ad homines. Colligunt nonnulli testimonia ex Augustino, & alijs, ut ostendant beatis in cœlo curæ esse res humanas. Potest hoc illustrius ostendi ex colloquio Mosis & Eliæ cum Christo. Et non dubium est, beatos orare pro Ecclesia: sed tamen inde non sequitur, inuocandos esse.

Etsi autem docemus, non inuocandos esse homines: tamen historias beatorum populo proponimus. Quia necesse est omnibus aliquo modo notam esse Ecclesiæ historiam, quibus testimonijs uocata
& con

& condita sit Ecclesia, & quomodo seruetur, & quod genus doctrinae per Patres, Prophetas, Apostolos, & Martyres propagatum sit. In his historijs iubemus, ut omnes agant gratias Deo, quod se patefecit, quod colligit Ecclesiam per filium, quod doctrinam nobis tradidit, & quod misit doctores, & in eis testimonia de se ostendit.

Iubemus, ut doctrinam eorum considerent, & ut testimonijs quae Deus in eis ostendit, fidem confirment. Considerent item exempla iudicij & poenarum, ut excitetur in eis timor Dei: iubemus imitari fidem, patientiam, & caeteras uirtutes. Discant in Deo non esse προσωποληψίαν, & petant se quoque recipi, exaudiri, regi, saluari & iuari: sicut Deus recipit Dauidem, Manasse, Magdalenam, Latronem in cruce.

Monemus etiam, quomodo exempla cuiuslibet in sua uocatione imitanda sint. Quia error in imitatione, & λακοζηλία, saepe ingentium malorum causa est. Laudamus etiam ipsorum sanctorum diligentiam, qui curarunt, ne effunderent dona

Dei

Dei. Denique non stulti amplissimam doctrinam ex his historijs promere possunt, quam proponi populo remota superstitione utilissimum est.

DE MAGISTRATU
POLITICO.

DEI beneficio in Ecclesijs nostris & hæc pars doctrinæ de dignitate magistratus, qui gerit gladium, & de dignitate legum, iudiciorum, & totius ordinis politici, pie illustrata est: & magno labore ac multis scriptis refutati sunt Anabaptistarum & aliorum fanaticorum hominum multi & magni furores.

Docemus igitur, in tota doctrina Dei, per Prophetas & Apostolos tradita, affirmari ordinem politicum, magistratus, leges, iudicia, & legitimam societatem hominum nequaquam casu existere in genere humano. Et quanquam multum est horribilium confusionum, quæ à diabolo & ab hominum furoribus oriuntur, tamen à Deo institutam esse legitimam gubernationem, & societatem hominum: & quantum ordinis reliquum manet, im-

mensa

mensa bonitate Dei propter Ecclesiam
conseruari. Sicut Rom. 13. dicitur, & in Rom. 13
Psalm. Nisi Dominus custodierit ciuita- Psal. 126
tem, frustra uigilat qui custodit eam, &c.
Sunt igitur res suo genere bonæ, gerere
magistratus, esse iudicem, esse ministrum
iudiciorum, legitimè uti iudicijs, gerere
bella legitima, & esse militem in bellis le-
gitimis &c.

Et potest his rebus uti homo Christia-
nus, sicut utitur cibo, potu, remedijs, em-
tione, uenditione. Nec peccat gerens ma-
gistratus iuxta uocationem, exercens iu-
dicia, militans, legitimo supplicio affici-
ens condemnatos &c. Et magistratui po-
litico subditi, debent obedientiam, sicut
Paulus inquit: Non solum propter iram, Rom. 13
id est, metu pœnæ corporalis, qua affici-
untur cõtumaces ab ipsis magistratibus:
sed etiam propter conscientiam, id est,
contumacia est peccatum offendens De-
um, & auellens conscientiam à Deo.

Hanc sententiam diuinam Ecclesijs
proponimus, quæ munit potestatem legi-
timam, & totum ordinem politicum: &
ostendimus discrimen Euangelij & poli-
ticae

ticae gubernationis. Vult Deus regi & co-
erceri politica gubernatione omnes homi-
nes, etiam non renatos: ac lucent in hac
gubernatione quoque sapientia & iusticia
Dei, & bonitas, erga genus humanum.
Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen
uirtutum & uitiorum, & consocia-
tio hominum per legitima imperia, & con-
tractus miranda sapientia ordinatos.

Deinde iusticia Dei conspicitur in po-
litica gubernatione. Qui uult puniri ma-
nifesta scelera à magistratibus: & cum
ipsi qui praesunt, non sumunt supplicia
de fontibus, Deus ipse mirabiliter ra-
pit eos ad poenas, & regulariter atrociam
delicta punit atrocibus poenis in hac
uita, ut dicitur: Qui gladium acceperit,
gladio peribit. Item: Scortatores & adul-
teros iudicat Deus &c. Vult in his poenis
conspici discrimen uirtutum, & uitiorum,
& uult disci Deum sapientem, iustum, ue-
racem & castum esse. Conspicitur & bo-
nitas Dei erga genus humanum, quia hoc
modo societatem hominum conseruat.
Ideo autem conseruat, ut inde Ecclesia col-
ligi possit, & uult politias esse hospitia Ec-
clesiae. Et ali-

Mat. 26

Heb. 13

Et aliud est politica gubernatio, quæ co-
 ercet omnes etiam non renatos: aliud re-
 missio peccatorum & iusticia in cordi-
 bus, quæ est incoatio uitæ & salutis æter-
 næ, quæ uoce Euangelij fit in creden-
 tibus.

Vtrumq; bonum tribuit Deus generi
 humano, & discrimina iusticię politicæ et
 lucis in cordibus uult intelligi. Nec Euan-
 gelium damnat, aut dissipat politias, aut
 œconomias. Etsi autem non pertinet ad
 docentes in Ecclesia, leges particulares
 ferre de politica gubernatione: tamen in
 genere de officio potestatis hoc tradit
 uox diuina.

Primum: Vult Deus, sine ulla dubita-
 tione magistratus sonare uocem legis mo-
 ralis in genere humano, quod ad discipli-
 nam attinet, iuxta Decalogum, seu legem
 naturalem: hoc est, uult magistratum uo-
 ce primum proponi summas & immuta-
 biles leges, prohibentes cultum idolo-
 rum, blasphemias, periuria, iniustas cæ-
 des, uagas libidines, uiolationem coniu-
 gij, furta & fraudes in pactis, contracti-
 bus & iudicijs.

K

Secun-

Secundum officium: Harum legum diuinarum & immutabilium, quæ sunt testimonia de Deo, & summæ normæ morum, sit custos magistratus, in puniendis omnibus qui eas uiolant. Nam uox legis sine pœna & sine executione, parum ualeat ad frenandos & coërcendos homines.

Rom. 13 Ideo dictum est à Paulo: Potestas sit terro-
ri malo operi, & honori bono. Et antiquitas rectè dixit: Magistratus est custos legis, scilicet primæ & secundæ tabulæ, quod ad disciplinam attinet.

Tertium officium est magistratus politici, etiam addere legi naturali aliquas leges, quæ sunt determinationes circumstantiarum legis naturæ: sitq; harum legum custos in puniēdo. Sed nequaquam ferat aut defendat leges pugnantes cum iure diuino & naturali, sicut scriptum est, *Esa. 10*. Væ ijs qui condunt leges ini-
quas. Quia imperia sunt ordinatio diuina, in qua sapientia & iusticia Dei, id est, leges iustæ dominari debent, sicut inquit rex sapiens & Deum timens *Iosaphat*:
2. Par. 19 Non hominum exercetis iudicium, sed Dei, qui uobiscum est in iudicio, Sit timor
Dei

Dei uobiscum, & cum diligentia omnia agite.

Quanquam autem multi in imperijs negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura esse debebat, audire & amplecti ueram doctrinam de filio Dei, & Ecclesias fouere, sicut Psal. inquit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Item: Aperite portas principes uestras: id est, Aperite imperia Euangelio, & præbete hospitium filio Dei. Et Esaiæ 49. Et reges erunt nutritores tui, & regina: id est, Respublicæ sint nutrices Ecclesie, præbeant hospitia Ecclesie & pijs studijs.

Sint membra Ecclesie ipsi quoque reges & principes, & doctrinam rectè intelligant, non adiuuent eos qui falsam doctrinam stabiliunt, & iniustam sæuitiam exercent, sed sint memores huius dicti: Glorificantes me glorificabo. Et Daniel regem Babylonicum hortatur ad agnitionem iræ Dei, & ad clementiam erga exultantem Ecclesiam, cum ait: Redime peccata tua iusticia & clementia erga pauperes, & erit sanatio delictorum tuorum. Et

K 2 cum

cum sint inter præcipua Ecclesiæ membra, uideant ut iudicia in Ecclesia rectè exercentur: sicut Constantinus, Theodosius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, & multi p̄ij reges curauerunt rectè exerceri iudicia Ecclesiæ. Cæterum de discrimine utriusq; gradus ministerij Evangelici & politicæ potestatis, extant scripta in Ecclesijs nostris multa, quæ ostendunt, nos neq; fanaticas neq; seditiosas opiniones docere, sed monstrare necessariam doctrinam in Euangelio traditam de utroq; gradu, utilem pietati & paci communi.

DEO GRATIA.

Hæc est summa doctrinæ, quam in Ecclesijs nostris, Dei beneficio una uoce sonamus: quam quidem esse incorruptam sententiam doctrinæ diuinitus traditæ in scriptis Propheticis, et Apostolicis, et symbolis, nequaquam dubitamus, & ex uetustis scriptoribus sincerioribus intelligi potest, congruere eam cum ueteri & puriore Ecclesia.

Ostendit

Ostendit autem res ipsa, nos non curiositate novas aut argutas disputationes quaesivisse, nec de potentia aut opibus contendere, sed tantum necessariam doctrinam ad ueram inuocationem Dei, & ad salutem animarum, ex magna caligine traditionum & opinionum euoluere, & simplicissimè ac planissimè eam Ecclesijs proponere. Necessè est enim omnes sanos fateri, magnas fuisse doctrinae tenebras, et multos errores in doctrina monachorū, et laqueos conscientiae multiplices in Pontificijs traditionibus. Et utra doctrina sit uera, plana, perspicua, utilis conscientijs & moribus, ostendit collatio. Non enim defugimus iudicia piorum: imò semper ueram Dei Ecclesiam, hoc est, omnes pios & eruditos, ubicunq; sunt, uolumus hæc, quæ dicimus, cognoscere: quos non dubitamus testes fore, hanc doctrinam esse uerae Ecclesiae Dei catholicae consensum.

Offerimus etiam nos, quocunq; tempore, ad copiosiore declarationem, in singulis partibus: & hanc commemorationem doctrinae nunc factam, congruere

K 3

cum

cum confessione Augustæ exhibita, Anno 1530. sentimus.

Cum igitur doctrina, quam recitamus, uera sit, & Ecclesiæ necessaria, oramus ne damnentur Ecclesiæ nostræ, quasi aut errores amplectantur, aut sine graui causa stolidè & seditiose tumultuentur. Veritas & rerum magnitudo, hac iniusta criminatione nos liberent.

Deinde ipsam synodum piè moneamus: uident ueteres abusus, et errores multos & magnos hæere in Ecclesia. Quia omnibus ætatibus inde usq; ab initio generis humani, diabolus errorum semina spargit: & postea multa, inscitia hominum, aut superstitione, confirmantur aut repullulant.

Cum autem iam uanitas multarum superstitionum nota sit, tempora flagitant emendationem: & nisi gubernatores curabunt extare illustratam ueritatem, magnæ distractiones opinionum secuturae sunt, præsertim cum in hac postrema mundi senectæ plus confusionum impēdeat. Ideo synodus uideat, ne manifestam ueritatem damnet. Et si piè deliberatura est, quomodo

do consulendum sit Ecclesijs, & à nobis declaratio copiosior petetur: eligendi sunt uiri eruditi, intelligentes & amantes ueritatem, & timentes Deum, qui de his tantis rebus simul deliberent. Nec tantum numero suffragiorum nobiscum certetur: cum manifestū sit ex multis præiudicijs, quid Rom. Pontifex & plurimi Episcopi ei addicti sentiant, qui tot iam annos non solum edicta contra nos sanguine scripta ediderunt, sed etiam multos nobiscum sentientes interfecerunt: & multi doctrinam nec intelligant, nec curent, sed profanis persuasionibus imbuti, existiment hoc præcipuè dignum esse politicis uiris, defendere præsentem formam, & tueri auctoritatem suam. Et ad hanc rem quærunt ministros idoneos, qui sophismatum præstigijs ueritatem eludant.

Quare iam testamur, nos ueritatem non abiecturos esse, etiamsi talium hominum iudicijs condemnata fuerat: & palàm testamur, nos Tridentinæ synodi, quæ antea edidit decreta partim palàm falsa, partim ambigua & sophistica, non assentiri: sed flagitare, ut de iisdem rebus &

K 4

audiamur,

audiamur, & errores antea confirmati decretis Tridentinis emendentur.

Et reuerenter oramus inuictissimum Imp. CAROLVM Augustum, ne permittat aduersarijs, ut ueritatem sua audacia opprimāt, & crudelitatem quæ aduersus innocentes exercetur confirmet, & maiora dissidia iniustis decretis excitent.

Commendamus autem & Ecclesiam & nos ipsos, filio Dei Domino nostro IESU Christo, quem scimus uoce Euangelij colligere sibi æternam Ecclesiam: & eum oramus, ut nos regat, nec sinat extinguī lucem Euangelij sui, nec deleri sinat cœtus ipsum uerè iuuocantes.

DEO GRATIA.

APPENDIX.

Rogamus autem omnes, qui in uicinis Ecclesijs docent, aut alibi qui amplectuntur Confessionem Augustæ exhibitam Anno 1530: Vt hæc legentes, si quid alicubi desiderāt, amanter nos moneant. quia non uoluimus aliud genus doctrinæ
gignere,

gignere, sed simpliciter recitare illius Cō
fessionis Augustanæ sententiam & com-
munem consensum harum Ecclesiarum,
& petimus ut candidè & non calumnio-
se iudicetur. Non uoluimus noua dissidia
ferere, sed maximè oramus Filium dei do-
minum nostrum Iesum Christum, crucifi-
xum pro nobis, & resuscitatum, qui pre-
catus est in agone suo, ut unum simus
in Deo, ut faciat, ut nos quoq; in
plurimis Ecclesijs unum si-
mus in ipso.

F I N I S.

NOS, quorum nomina ascripta sunt,
qui nunc in Ecclesijs & Academijs,
quarum infrà fit mentio, docemus, affir-
mamus in hoc scripto, quod dextrè &
non calumniose intelligi uolumus, recita-
tam esse doctrinam communem, quæ so-
nat in Ecclesijs & Academijs, in quibus
Euangelium docemus. Et sentimus uerè
hanc esse puram & incorruptam doctri-
nam Ecclesiæ Domini nostri Iesu Christi,
congruentem cum scriptis Prophetis
& Apostolicis & Symbolis, ac necessari-

am Ecclesijs, & oramus Dominum no-
strum Iesum Christum, crucifixum pro
nobis & resuscitatum, ut has Ecclesias cle-
menter regat & protegat. Offerimus et-
iam nos ad declarationem in singulis ar-
ticulis.

Hæc scripta sunt Anno M. D. LI.
die decima Iulij, in oppido Vuite-
berga, ubi uicinarum Ecclesiarum
Pastores conuenerant.

Ego Iohannes Bugenhagen Pomera-
nus, Doctor, Pastor Ecclesiæ Vuiteber-
gensis & Superintendens in Electoratu
Saxonix, subscripsi hac mea manu.

Iohannes Pfeffinger Doctor Theolo-
giæ, Pastor Ecclesiæ Christi in urbe Lip-
sia, & Superintendens manu propria sub-
scripsit.

Erasmus Sarcerius Pastor Ecclesiæ Lip-
sensis apud D. Thomam, manu mea sub-
scripsi.

Vuolfgangus Pfentnerus Doctor, Pa-
stor Ecclesiæ Annæmontanæ m. p. f.

Caspar Zeunerus Pastor Fribergæ
m. p. f.

Daniel

Daniel Gresserus Pastor & Superin-
tendens Ecclesiæ Dresdensis m. p. f.

Antonius Lauterbach Ecclesiæ Pyr-
nensis Pastor & Superintendens m. p. f.

Nicolaus Picus Pastor & Superinten-
dens Ecclesiæ Kennnicensis m. p. f.

Georgius Hala Pastor Zuiccauiensis.

Iohannes Schreiner Pastor & Superin-
tendens Ecclesiæ Grymmensis m. p. f.

Augustinus Hymmel Pastor & Super-
intendens Ecclesiæ Aldenburgensis m.
p. f.

Iacobus Vueigant Pastor & Superin-
tendens Vueissenfensis m. p. f.

Iohannes Buchner Pastor & Superin-
tendens Oschatzensis p. m. f.

Ego Iohannes Rutilius Saltzo in Tu-
ringia Superintendens, hanc confessio-
nem approbo ut Christianam, in huius
signum me subscripsi.

Iohannes Voitlender Pastor & Super-
intendens in Eccersberg p. m. f.

Iacobus Klapius Ecclesiæ Haynensis
Pastor & Superattendens m. p. f.

Georgius Mohr Pastor & Superinten-
dens Torgau.

Martinus Vuolfius Pastor & Superin-
ten-

tendens Coldicensis p. m. f.

Valentinus Braun Pastor in Dobeln
subscripsit.

Sebastianus Froschelius Minister Ec-
clesiæ Vuitebergensis, f.

Lucas Hezer Minister & Conciona-
tor Ecclesiæ Vuiteberg. f.

Alexander Alesius Scotus D. Theo-
logiæ & Decanus Collegij Theologici in
Academia Lipsica.

Bernardus Zieglerus D. Theologiæ.

Nicolaus Herco S. Theologiæ D.

Georgius Zeeler D. Theologiæ.

Iohannes Mencilus D. Theologiæ.

Ioachimus Camerarius Pabepergensis
studiorum liberalium Professor Lipsiæ.

ἄτω φρονῶ καὶ πισεύω.

Iohannes Forsterus S. Theologiæ
Doctor & Professor Vuitebergensis.

Georgius Maior Sacræ Theologiæ
Doctor & Professor in Academia Vui-
tebergensi.

Philippus Melanthon Professor in
Academia Vuitebergensi.

Paulus Eberus Kitthingensis Profes-
sor artium in Academia Vuitebergensi.

L. D.

SEQVUNTVR
ALIARVM ECCLE-
SIARVM ET REGIONVM,
APPROBATORIA SCRIPTA, QVI-
BVS EADEM CONFESSIO ET
APPROBATVR ET CON-
FIRMATVR.

SCRIPTVM LEGA-
TORVM ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS, DOMINI IOHANNIS
Marchionis Brandebur-
gensis &c.

Ws befehl vnd ab-
fertigung des Durch-
lauchtigen Hochgebor-
nen Fürsten vnd Her-
ren/ Herrn Johansen
Marggraffen zu Bran-
denburg etc. vnseres G. F. vnd G. Seind
wir Caspar Marsilius Licentiatus vnd
Hoffprediger zu Custrin/ vnd H. Hein-
ricus Hamme Superintendent des ortes
zu

zu Königsberg / alhie zu Wittenberg
bey den Erwürdigen hochgelartē herrn
Domino D. Iohanne Bugenhagen Pa-
store, D. Philippo Melanhone. D. Io-
hanne Forster. D. Georgio Maiore &c.
gehorsamlich erschienen / Also von iren
Achtbarkeiten ein Schrift oder No-
tel einer gefasseten Confession / gegen
das vielleicht zukunfftig Concilium
empfangen / mit ermanung solchs zum
treulichsten zuerlesen vnd expendiren /
iren Achtbarkeiten dorzumal vnd fol-
gents D. S. K. vnd Herren vnser mei-
nung darvon widerumb zu referiren.

Welchs also von vns / vnser ver-
stands vnd vermögens / zum fleissigsten
furgenomen / vnd ist solche Schrift al-
lenthalben von vns / an Worten vnd
Sententzen nicht allein Christlich / rei-
ne / recht / vnd vnser S. Augspurgischen
Confession vnd Locis Communibus ge-
mese / sondern auch etwas klerer vnd
mechtiger befunden / Das wir darob
Gott gebürlich lob vnd danck gesagt /
Mit

Mit obernanten herrn Doctorn vnser
ren lieben herrn Metern semplich al=
lerley weiter conferiret/ vnd entlich al=
so eintrechtiglich vorlassen / Alleine
noch D. S. F. vnd Herrn meinung/
wo solchs confitiren annemlich befun=
den/möchte zu gleich mit vnd neben der
Augspurgischen Confession dem Con=
cilio vberantwortet werden / begeret/
Mit erbietung / im fall der notturfft/
durch sonderliche geschickten / fur dem
Concilio weiter zuerkleren vnd zu
confirmiren &c. Actum Mit

temberg / in ædibus Do=
mini Philippi, die
XXVI. Junij.

Anno

M. D. LI.

Scriptum

SCRIPTVM LEGA-
TORVM GENEROSI
Comitis Gebhardi à
Mansfelt &c.

Nach dem der Wol-
geborne Edle Herr
Graff Gebhard / Graff
vnd Herr zu Mansfelt/
vnsrer Gnädiger Herr/
vns anher gen Witten-
berg zu dem Erwürdigen / Hochgelar-
ten Herren Philippo Melanthe, vn-
serm lieben Preceptoren / mit befehl
vnd brieffen abgefertiget / bericht zu em-
pfahen von wegen der Schrift / die
man auff dem Concilio / wo eines wer-
den solte / vberantworten würde / So
haben wir M. Johannes Wigandus /
vnd M. Andreas Theobaldus / seiner
gnaden vnterthenige Diener in Got-
tes Wort / dieselbige gestelte Schrift /
vnsrem geringen verstande nach / fleis-
sig vnd trewlich durchlesen / Befinden
Gott

Gott lob / vnd bekennen für vns / das
dieselbige Schrift der Augspurgischen
Confession gemess sey / vnd fasse grünt-
lich vnd klar die Lehre von den höch-
sten Artickeln des Christlichen Glau-
bens / vnd Sacramenten von Christo
eingesetzt / welche durch Gottes gnade
in Kirchen dieser Lande bisher eintrech-
tig gelehret vnd bekant worden ist / Wel-
che Lehre wir auch für die ewige vn-
wandelbare Wahrheit Gottes halten /
durch den eingebornen Son Gottes
Ihesum Christum vom Himmel offen-
baret / vnd in der Propheten vnd Apo-
stel Schriften begriffen. Dancken
derhalben Gott dem Vater vnseres Hei-
lands Ihesu Christi / sampt dem Son /
vnserm einigen Ertzhirten vnd Erlö-
ser / vnd dem heiligen Geiste / der in alle
warheit leitet / Für solche gaben / rei-
ner / warhafftiger / heilsamer Lehre /
wünschen vnd bitten von hertzen / das
Gott solche richtige / ware / nützliche
R vnd

vnd nötige Lehre vnter vns erhalten
wolle / vnd dieselbige ausbreiten / auch
in andere Lande / auff das seine Gemein-
ne / welche in hie vnd dort ewig erken-
nen / loben vnd ehren sol / groß vnd
herrlich werde / **M N E N.**

Actum Vitenbergæ, Ca-
lendis Augusti,
Anno

M. D. LI.

Scriptum

SCRIP TV M LE GA
TOR VM ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS, DOMINI GEORGII
Friderici Marchionis Bran-
deburgensis &c.



GO M. GEOR-
gius Karg Pastor Sua-
bacensis, & Iohannes
Serranus, aliâs Seger,
Pastor Rosfeldensis, ab
Illustrissimi Principis et
Domini, Domini Geor-
gij Friderici Marchionis Brandeburgen-
sis &c. Domini nostri Clementissimi Se-
natus ablegati Vitebergam, ad reueren-
dos Patres & Præceptores nostros, D.
Magistrum Philippum Melanchthonem,
& cæteros S. Theologiæ Doctores, ut
cognosceremus confessionem fidei re-
cens à D. Philippo Melanchthone scri-
ptam, exhibendam Concilio Tridenti
congregato, Testamur nos accuratè le-
gisse hoc scriptum, & affirmamus in eo
doctrinam Euangelij Domini nostri Iesu
Christi, prout in sacra Scriptura utriusq;
Testamenti, & in Symbolis continetur,

sincere & sine sophistica, modò dextrè
intelligatur, propositam, quæ & in no-
stris Ecclesijs aliquot iam annis prædica-
ta, nunc etiam docetur, auditur & appro-
batur ab omnibus uerè pijs, & Spiritu
Dei sancto illuminatis. Et oramus Do-
minum nostrum Iesum Christum, pro-
pter peccata nostra à Deo Patre tradi-
tum, & propter iustificationem nostram
resuscitatum, ut Ecclesias quoque no-
stras cum omnibus alijs clementer regat
& protegat, Nòsque in ea fide & liberta-
te, in qua stamus, confirmet, adeoq; con-
stantes ad finem usq; uitæ nostræ per Spiri-
tum suum sanctum confirmet, AMEN.
Actum Vitebergæ, Die XII. Septem-
bris. Anno &c. M. D. LI.

Ego M. Georgius Karg, Pastor
Ecclesiæ Suabacensis, manu pro-
pria subscripsi.

Ego Iohannes Serranus, aliàs Se-
ger, Pastor Rosfeldensis, manu
mea subscripsi.

Scriptum

SCRIPTVM LEGA-
TORVM GENEROSO-
RVM COMITVM A
MANSFELT.



VM NOSTRO-
rum Comitum nomine
Vitembergam ablegati
essemus, ad petendum
consilium de Concilio
indicto, à Reuerendis
uiris D. Philippo Me-
lanchthone, cæterisque Præceptoribus
nostris obseruandissimis, forma eius scri-
pti, quod in Concilio offerendum esset,
nobis exhibita est. Summa igitur qua
potuimus attentione, pro ingeniorum
nostrorum tenuitate, & pro temporis ra-
tione, id scriptum legimus & considera-
uimus. Testamur itaque in isto scripto,
summam eius doctrinæ, quæ Dei benefi-
cio in Ecclesijs harum Regionum incor-
ruptè hæctenus sonuit, & sonat adhuc,
perspicue comprehensam esse. Iudica-
mus autem eam cum scriptis & perpetuo

L 3 con-

consensu Prophetarum & Apostolorum
congruere, neque ulla sophistica labefac-
tari posse. Agimus igitur Deo Patri
Domini nostri **IESV CHRISTI**
gratias, pro patefacta luce Euangelij, &
precamur ardentibus uotis, ut hanc sin-
ceram doctrinam aduersus omnes insi-
dias & impetus Diaboli tueatur & con-
seruet, & colligat sibi inter nos & alias
quoque gentes Ecclesiam se perpetuo
agnoscentem, inuocantem & celebran-
tem. Vt igitur huic scripto suffragium
& testimonium nostrum adderemus, No-
mina nostra subscribere uoluimus.

**Michaël Cælius Inclytorum ac
Generosorum Comitum à
Mansfelt Concionator, manu
propria subscripsit.**

**Iohannes Vuigandus Minis-
ter uerbi Dei in oppido
Mansfelt.**

Iohan

Iohannes Prætorius Minister
Verbi Dei in arce Stolberg,
m. p. f.

Valentinus Sifridi, Minister
uerbi Dei in Oppido Orten-
berg, in Comitatu Konig-
steinensi, manu propria sub-
scripsi.

L 4

Scriptum

SCRIPTVM MINI
STRORVM ECCLESIAE
IN INCLYTA VRBE
ARGENTORATO.

S. D.



SCRIPTVM D.
Philippi Melanthonis,
charissimi Præceptoris
nostri, quod dilectus fra-
ter & symmista noster
D. Iohannes Marbachi-
us attulit, uidimus, legi-

mus, & exosculati sumus, Bonaq; fide de
eo testamur, quisque sua manu, quòd con-
sonum sit unicæ & ueræ doctrinæ de Dei
essentia & uoluntate, quæ à Deo pate-
facta est, & commendata primis Patri-
bus & Prophetis, postea illustrata uoce
filij Dei Domini nostri Iesu Christi, cruci-
fixi pro nobis & resuscitati, & uoce Apo-
stolorum ac Apostolicorum uirorum:
Ac nequaquam recipiendas esse ullas opi-
niones pugnantes cum illa prima Prophe-
tica doctrina, & uoce filij Dei.

Caspar

Caspar Hedio Doctor Theologiae,
docens Euangelium in Ecclesia Dei
in inclyta urbe Argentorato, manu
propria subscripsit, ut una sit uox
multarum Ecclesiarum.

Iohannes Marbachius Theologiae
Doctor, & Pastor Ecclesiae ad S.
Nicolaum Argentorati, manu pro-
pria subscripsit.

Beatus Geringus Minister Euan-
gelij Christi ueteranus, Pastor Ec-
clesiae Dei, quae apud D. Thomam
Argentorati conuenit, manu pro-
pria subscripsit.

Theobaldus Nigri, Minister in Eu-
angelio Christi Ecclesiae Argentora-
tensis, agnosco Chirographo meo,
hanc Confessionem uerè Christi &
Apostolorum doctrinam esse, quae
uirtus est ad saluandum credentes,
praeter quam nullam aliam esse iu-
dico.

L 5

Lucius

Lucius Kyberus, ad S. Aureliam
Pastor, præsentibus testor, huic piæ
Confessioni solidæ & consumma-
tæ nihil addendum, neque in ea
aliquid desiderari posse, quam &
ego libenter confiteor, & Domino
pro reuelata sua uoluntate, gratias
ago.

Ioannes Lenglinus, Pastor Eccle-
siæ Iesu Christi ad S. Guilhelmum
Argentorati, propria manu sub-
scripsit.

Ludouicus Rabus, Ecclesiæ Chri-
sti apud Argentoratum Minister,
hanc Confessionem & doctrinam
Ecclesiæ Vuitembergensis, & con-
iunctarum, quæ sine ulla dubitati-
one consensus est Ecclesiæ Catho-
licæ Christi, ex animo amplectitur,
manuq; propria subscripsit.

Christophorus Soellius st.

Chun

Chunradus Hubertus, manu mea
subscribere uolui.

Leonhardus Fontanus, Minister &
Diaconus Ecclesiae S. Nicolai Ar-
gentinae, idem quod Fratres & Prae-
ceptores testantur, manus propriae
subscriptione confirmatum uolo.



Scriptum

SCRIPTVM MINI-
STRORVM ECCLESIA-
RVM CITERIORIS
POMERANIAE.

SALVTEM ET PA-
CEM IN CHRISTO.



VVM ILLV-
strissimus Princeps Phi-
lippus, Dux Stettinen-
sium, Pomeraniae, Cas-
subiorum &c. Domi-
nus noster clementissi-
mus, à nobis peteret, ut
iuxta edictum inuictissimi Imperatoris
Caroli, summam doctrinae, quae in Eccle-
sijs et Scholis nostris magno consensu tra-
ditur, breui scripto comprehensam, con-
gruentibus omnium suffragijs, Tridenti-
nae Synodo offerremus: non grauatim id
negocij, quod pietati, iusticiae, & praee-
pto Dei maximè consentaneum erat, sus-
cepimus. Sed quum id etiam temporis
uestra confessio Illustrissimi Principis ius-
su nobis exhiberetur, ac animaduertere-
mus recitari in ea doctrinam ueram, pi-
am &

am & salutarem Ecclesiæ, planè congru-
entem cum scriptis Prophetiis & Apo-
stolicis: uisum est omnibus Ministris &
Doctoribus Ecclesiarum, qui Grypsuual-
dæ conuenerant, ut instituto labore su-
perfedentes, uestram confessionem no-
stris omnium suffragiis comprobaremus,
ac ut nostram, illustrissimo Principi, &
Tridentinæ Synodo offerremus. Quare
hic palàm testamur & affirmamus coram
DEO & omnibus Sanctis in cælo & in
terra, doctrinam, quæ in uestra confes-
sione proponitur, uerum & perpetuum esse
consensum catholicæ Ecclesiæ filij DEI
Domini nostri IESU CHRISTI,
nosque eam toto pectore amplecti, ac
sonare in nostris Ecclesijs, Academijs
& Scholis, ac Deo iuuante ad omnem
æternitatem constanter professuros ac
defensuros esse. Quod quum ita sit,
reuerenter oramus, ut pro commemora-
bili uestra erga nos pietate & beneuolen-
tia, nostras Ecclesias, et eos qui harum Ec-
clesiarum nomine isthuc emittuntur, doc-
trina, consilio, & omni genere officij iuue-
tis, uobisq; commendatos & coniunctos
esse sinatis, ac omnino statuatis, nos, cum
de sa

de sacris cæremonijs in Euangelio insti-
tutis, tum uerò de uniuersa doctrina cœle-
sti, deq; ritibus ad eutaxiam Ecclesiæ per-
tinentibus, planè idem uobiscum sentire,
nec Deo dante passuros, ut ullis unquam
temporibus ab hac sententiâ depellamur.
Commendamus etiâ filio DEI Domi-
no nostro IESU Christo uestram salu-
tem, eumq; toto pectore & ardentibus uo-
tis oramus, ut actiones & conatus uestros
regat & fortunet ad gloriam sanctissimi
sui nominis, & ad utilitatem Ecclesiæ.
Bene & feliciter ualeat V. E. in Christo,
cui & nostras Ecclesias & honesta studia
pijs uotis commendamus. Data
Grypsuualdæ in Synodo prouinciali,
Anno M. D. LII. die XXI. Ianuarij.

Vestræ excellentiæ
addictissimi


Rector Academiae Gryps-
uualdensis, Superatten-
dens, Doctores, Pastores
& Ministri Ecclesiarum ci-
terioris Pomeraniæ.

72185

(X2210650)

sb.

m.c.



B.I.G.

Farbkarte #13



CONFESSIO
DOCTRINAE
SAXONICARVM
ECCLESIARVM,

CRIPTA ANNO
DOMINI M. D. LI. VT
SYNODO TRIDENTI
NAE EXHIBEE
RETUR.

PSALM. CXIX.
*Loquebar de testimonijs tuis in conspectu
Regum, & non confundear.*

LIPSIÆ
IN OFFICINA VALENTINI PAPAE
ANNO M. D. LIII

